LVI.
A.
53.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
A
53
NAPOLI

ANTONII THYSII JC.
Et Profeſſoris in Acad.
Leydenſi

MEMORABILIA
Celebriorum veterum
Rerumpublicarum.

Acceſſit
Tractatus Iuris Publici
DE
POTESTATE PRINCIPIS.



LUGDUNI BATAVORUM.
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
CIↃ IↃ C XLVI.

Nobiliſſimis Magnificiſque Viris,

D. AMELIO A BOUCHORST, WIMMENUMI Domino, Fœderatorum Procerum ex ordine Equeſtri Aſſeſſori, Rhenolandiæ Prætori, aggerumque Comiti, &c.

D. GERARDO SCHAEP, JC. ad Sereniſſimos Sueciæ & Daniæ Reges Exlegato, Illuſtris Reip. Amſtelodamenſis Conſuli, &c.

D. CORNELIO A BEVEREN, Equiti, Strevelſhouckii, Weſtiſelmondæ, & Develſteinii Domino, ad Sereniſſimos Britanniæ & Daniæ Reges Exlegato, Potentiſſimorum Fœderatorum Procerum Aſſeſſori, &c.

Academiæ Lugduno-Batavæ Curatoribus.

Vt & Ampliſſimis Prudentiſſimiſque Viris,

D. CLEMENTI A BAERSDORP. JC.

D. ADRIANO A STAVEREN.

D. NICOLAO VANDERMEER. Acad. Quæſtori.

D. FEUDONI VAN ZYP.

Conſulibus inclytæ Reip. Leidenſis, & DD. Curatorum Collegis.

DENIQUE

Ampliſſimo, Conſultiſſimoque Viro,

D. JOANNI à WEVELICHOVEN, JC. Eidem Reip. à Conſiliis, & DD. Curatt. à Secretis.

ANTONIUS THYSIUS Salutem plurimam.

Viri

OCii atque inertiæ publicam apud Athenienſes mortalium cordatiſſimos accuſationem fuiſſe memoriæ proditum eſt. Cleãthes & Menedemus Philoſophi eius rei coram Areopagitis cauſam dixère. Singulis admodum annis cives coram judicio ſe ſiſtebant, rationem reddituri, cui ar-

ti quis ſe dediſſet, quo quæſtu vitam toleraret. Ita enim exiſtimabat ſapientiſſimus populus, vitam in actione conſiſtere, ignavum pecus à civitatis ſuæ penetralibus arcendum. Nihil æque animum ſpirituſque obtundit, quam torpida quædam remiſſio. Ager, qui aratro non ſulcatur, ſpinas & lolia producit, mens humana, quæ non exer-

exercetur, vitiorum ſpinas edit. Sicut mare mortuum nullis agitatur undis, ſed vaporibus noxiis continuo aërem inficit, ita qui ocio veluti ſepultus eſt, vitiorum fœtidos eructat vapores, qui ipſam animam ex auguſto detrudunt ſolio, & cœno ſuo contaminant. Cælum aſpice, in continuo motu eſt, ideoque nulli mutationi

*5 ob-

obnoxium. Exercitatione corpus roboratur, nimia quies noxia, viſcera obſtruit, venas putrido ſanguine implet: ingenii quoque exercitatio animum alit, cogitationes fovet: nimia quies rubigine quadam lædit. Sed quorſum his ambagibus utor? Vt vobis ocii noſtri rationem exhibeam, VIRI NOBILISSIMI,

qui

qui mihi docendi Provinciam in hac florentiſſimâ Academiâ conceſſiſtis. Quo quidem munere per novem annos ita functus ſum, ut in publicum commodum omnes ingenii mei nervos ſemper intenderim. Ita ſemper ſtudia diviſi, ut Juris Civilis ſeveritati gratiſſimum literarum condimentum immiſcuerim. Atque in eo malui

lui magnos Iuris aucto-
res ſequi, quorum glo-
ria ipſa aternitate paſci-
tur, quam umbratilem
quorundam leguleiorum
& ſupinam ignoran-
tiam. Arida, exucca
eſt Iuriſprudentia ſine
antiquitatis cognitione.
Ecce itaque ex fundo
noſtro novos fructus,
quorum decimas vo-
bis Academiæ Princi-
pibus offero, per-
ſol-

ſolvo. Memorabilia veterum Rerumpubl. atque Principis Romani ideam ex Iure Civili depromptam vobis exhibeo, qui in florentiſſimâ noſtrâ Repub. primum locum tenetis, & partim ſplendidiſſimis legationibus, partim conſiliis prudentiſſimis eandem ſæpe adiuviſtis, & quotidie adiuvatis. Veſtrum

eſt

*eſt, univerſum multitu-
dinem legibus in ordi-
nem redigere, bella ge-
rere, pacis artes pro-
movere, proſpicere ne
quid detrimenti Reſ-
publ. capiat: nobis reli-
ctum eſt, in Academiæ
penetralibus verba vol-
vere, ſententias vibrare.
Experientiâ rerum ma-
giſtrâ vos ſapitis, nos ex
lectione librorum balbu-
timus. Non eodem mo-*

tu

tu flumina de ſtagno ſerpunt, & de fonte proſiliunt. Quicquid ſit; ſi munuſculum hoc pro natâ hodie rerum occaſione benignâ acceperitis manu, animi noſtri ignes ad maiora accendetis, urgebitis. Valete,

VIRI NOBILISSIMI,

Et Reipubl. atque Academiæ

demiæ diu ſupervivite. Datæ Lugd. Batavorum. Menſe Auguſto. Anno cIↄ Iↄ XLVI.

VESTRÆ AMPLISSIMÆ DIGNITATIS

cultor perpetuus

ANTONIUS THYSIUS.

ANTONI THYSI IC.

Memorabilia celebriorum VETERUM RERUMPUBLICARUM.

CAP. I.

De Rep. Hebræorum.

EXcuſſimus alibi ea quæ Ius Publicum Romanorum ſpectant, quod per totum fere terrarum orbem, ubi victor populus pedem fixit, diſperſum, diſſeminatumque fuit. Sed cum ipſa humanæ naturæ origo ab oriente paulatim ad alias orbis plagas transfluxerit, prima quoque & antiquiſſima ibidem fuit Reſp. Operę

itaq; pretiũ erit ordine antiquiorũ Rerump. formam quaſi delineare, atq; in brevi tabula imaginem amplecti. Singula enim & minuta quæque aciem proculdubio intentionis noſtræ abrumperent, atque in iis hærere quæ exiguum momentum trahunt, hominis ſatue curioſi eſt. Primo itaque hic ſe egregia offert dubitatio quinam primi omnium populorum leges ſibi conſtituerint. Inanis certe inter Græcos Ægyptioſque ea de re controverſia. Iactent Græculi ſuos Lycurgos, Solones, Dracones, ſed ventoſitatis merito arguantur. Neq; Ægyptii, qui primos antiquiſſimoſque ſe mortalium exiſtimant, Iſidis atque Oſiridis legibus multum intumeſcant. Unus quippe Ioſephus contra Apionem oſtendit, quanto vetuſtiores ſint leges, quæ à Deo immortali populo Hebræorum per Moſen traditæ ſint. Illud

Illud certũ, nullas leges ſive antiquitate ſive ſanctimonia potiores inveniri, quam quas decem verbis, ut Iudæi loquuntur, id eſt, decem præceptis incluſit divina auctoritas. Quod & ipſum Strabo agnoſcit, qui Moſis inſtituta cœlo exæquat. Ante ea tempora nullæ ſcriptæ leges, ſed ſapientum tantum dicta pro lege obſervabantur. Quem modum iudiciorum etiam veteribus Germanis in uſu fuiſſe Iulius Cæſar prodidit. Quin & ipſi Iudæi ante Moſis tempora legem habebant non ſcriptam, quæ, ut inquit Tertullianus, naturaliter intelligebatur, & à patribus cuſtodiebatur. Cuius generis ſeptem præcepta filiis Noachi tradita Thalmudici tradiderunt. Sicuti autem gens Hebræa potiſſimum à Deo immortali electa, in quam benignitatis atque potentiæ ſuæ radios transfunderet, ita

ipſe legibus ſuis populum munivit, ipſe immediatus illorum rex fuit. Ita ut vanum ſit hic in controverſiam deducere, quinam Reip. Status in Populo Iudaico maxime eluxerit, cum recte Flavius Ioſephus θεοκρατίαν appellaverit. Quamvis enim totum hoc convexū, quam late patet, unius Dei imperio obnoxiū eſſe nemo noſtrū dubitat, ita tamen ſe res habet, ſpecialē ſemper curam illius gentis æternum illum regem habuiſſe, ex qua aliquando totius orbis ſalus naſcitura eſſet. Atque hinc ille nodus facile explicatur, qui eruditos torſit, quare Deus immortalis adeo indigne tulerit Populum ſuum regem depoſcere, cum ipſe cap. 17. Deut. cauſam reddiderit, quare aliquādo regem expetituri eſſent, nimirum quia vicinæ quæque gentes ſub regum imperio victitabant. Recte enim alibi apud Tacitum

inve-

invenies, ſervire Syriam Aſiamque, & ſuetum regibus orientem. Maimonides quidem Iudæorum omnium eruditiſſimus, exiſtimat id indignationem Dei promoviſſe, quod Samuelem ſanctiſſimum vatem reieciſſet. Sed mea hæc ſemper firma ſtetit opinio, aliam nimirum cauſam latitare Recte enim indignationis œſtro, ſi ita loqui fas eſt, agitabatur ſupremus illorum Imperator, ſuum imperium recuſare contumacem populum, & illius iugum detrectare, qui ab infima ſervitute ad florentem Reip. ſtatum atq; invidendas vicinis opes illos traduxerat. Vnde in pœnam Saulem perditiſſimum regem iis conſtituit, ut fœliciora tempora rectius cum præſentibus calamitatibus componerentur. Porro ſparſim ea hic vobis exhibebimus, quæ in Rep. Hebræorum, maxime obſervatu digna vide-

buntur. Imperium Hebræorum primo ſub iudicibus, dein ſub regibus fuiſſe, nemo ignorat. Antiquiſſimæ autem ſanctiſſimæque autoritatis Senatus illud collegium magnum fuit, quod vulgo Sanhedrin appellatur, in quod concilium aſcripti fuere ſeptuaginta Senatores, quibus curæ fuit ne quid detrimenti Reſp caperet: qui publici pacis bellique arbitri atque cuſtodes fuere. Nihil ſine illorum ſuffragio vel iudices vel ipſi Reges factitarunt. Quippe ab antiquis Iudæis vane creditum, ſpiritum ipſum divini numinis, ſimul atque ſolenni ritu per manuum impoſitionē illuſtri huic collegio inſerti eſsēt, ſupernè deſcēdere. Atq; ea cęremonia diuturno tempore tanta religione culta, ut ſine ea legitima ſenatoris electio non valeret. Eademque limitibus Palæſtinæ coartabatur: extra eam omnis potentia

tia elanguere exiſtimabatur. Donec tandem de iure χειροθεσίας ortæ graviſſimæ contentiones inter concilii Principes, ritum hunc obliterarunt. Sicuti Thalmudici tradiderunt. Habetur itidem in Gemara Hieroſolymitana, ipſam interpretationem religionis penes eoſdem fuiſſe, atque eandem vim habere cum ipſis Moſis præceptis. Sed illud recte vanis Rabbinorum deliriis & ſomniis annumero. Tanta enim futilitatis inſignia documenta apud eos inveniuntur, ut niſi ſacra lux effulgeret, ipſæ gentis antiquitates in tenebris verſarentur. Quippe recte alibi obſervatum, maximam partem populi in gravioribus cauſis debuiſſe aſſentiri. Convocari autem ſolitam concionem, ex multis ſacræ paginæ locis oſtendi poteſt. Quod & ipſe Cicero pro Flacco innuere videtur: multitudinem, in-

quit, Iudæorum flagrantem nonnunquam in concionibus pro Rep. contemnere, gravitatis ſummæ fuit. Quantas turbas populus Hieroſolymis dederit, & aliquando ipſi iudiciorũ ordini ſe immiſcuerit, ſpiritus divinus docet. Alioquin illuſtre hoc ſenatorum collegiũ multa ſemper polluit autoritate, cum prima nobilitas illud conſtitueret. Acceſſit ab ipſo loco, ſanctuario nimirum, ubi cogebantur, publicus quidam horror & veneratio. Cum ea in ſede, ubi ipſum æternum illud atque immutabile numen colebatur, Deus quoque ipſe præſidere videretur. Quod ipſum conſervandis patriis legibus, fovendæ religioni, ſine qua nulla Politia conſiſtit, peropportunum fuit. Uti enim quælibet religio ad comprimendos motus vulgi multum conducit, ita vera Politiam ſtabilire & fulcire ſolet. Ad

hoc

hoc itaque collegium tanquam ad ſacram anchoram, ubi aliis iudiciis ſibi ſatisfactum non exiſtimabat, confugiebat Populus divinus: eius autoritas omnes lites dirimebat: neq; ulla ab eo provocatio. Ipſos quoque Sacerdotes & Levitas acceſſum habuiſſe, uti & Pontificem, Maimonides tradidit. Neq; vero ille florentibus rebus civilē poteſtatem ad ſe traxit, ſed religioni tantum in ipſo Synedrio proſpiciebat. Secreti ordinis ſecreta poteſtas fuit. Atque illud ex c. 19. Paralipom. apparet. Verum inclinante Imperio Iudaico etiam dominandi æſtus Pontificum pectora accendit. Qui ubi erupit, peſſimis quibuſque artibus viam ſibi fecit. Receptum illud quoque moribus fuit, ne in concilium admitteretur, niſi quem integritas corporis atque animi commendaret. Quia enim veluti coram

 ipſo

ipſo Deo in ſanctuario iudicabatur, etiam perfectio Naturæ eiuſdem conditorem decuit. Etſi enim reſpectu eius cuncta ſummam imperfectionem oſtentent, grata tamen eidem eſt qualiſcunque perfectio. Unde & Sacerdotes, quique divina peragebant nulla corporis labe inſignes eſſe oportebat. Hinc Antigonus Hyrcano dentibus auriculas laceravit, ut ſacerdotio inhabilem redderet. Idem quoque Gentiles obſervaſſe legimus. Horatius Cocles & Mutius Scævola ideo magiſtratus incapaces fuere, quia mutili, ut traditur à Dionyſio Halycarnaſſæo. Peregrinos quoque non tantum à ſupremo tribunali. verum etiam ab aliis dignitatibus arcuerunt Iudæi. Cuius & communis & ſpecialis ratio facile dari poteſt. Communis, quod patriæ amor indigenas maxime trahat; peregrini non tam ex af-

fectu,

fectu, quam utilitate, ſingula ponderent, eorundem autoritas inviſa & ſuſpecta civibus ſit.[a] Sed ſpecialis in Populo Iudaico fuit, ne gentes extra communionem legis poſitæ, miſcerentur, quo fatalis ille ſervatoris adventus rectius argueretur. Peregrini autem cenſebantur illi omnes, qui, quamvis nati in Iudæa, Iudæum, ſanguinem non attingebant. Quare omnes Proſelyti ad dignitatem promoveri non potuerunt. Quod Maimonides recte annotavit. Unde in corpore Talmudico ſcriptũ, ideo Herodem magnum illud concilium ferro obieciſſe, quum revera eum tanquam proprium regem non agnoſcerent. Et hinc patet, non tantũ antiquorum patrum atque Hiſtoricorum certam eam eſſe ſententiam, Herodem nimirum alienigenam fuiſſe, verum ipſum illud celeberrimum vaticinium de ab-

lato

lato ſceptro Iudæ ſuo opportuno tempore vires accepiſſe. Etſi enim eruditiſſimi viri, quorum nomen totũ terrarũ orbẽ implevit, Ioſephus Scaliger & Iſaacus Caſaubonus, affirment ita inſertum fuiſſe Iudæis Herodem, ut omnium dignitatum capax fuerit, recte tamen meo iudicio ex Maimonide annotavi, nunquam peregrinos vel proſelytos, niſi matrem habuerint Iudæam, inſeri ſanctiſſimo populo potuiſſe. Porro iiſdem Senatoribus magni concilii ea cura incumbebat, ut totam Iudæam luſtratẽt, inferiores magiſtratus tum Hieroſolymis tum cæteris in civitatibus conſtituerent. Myſtica itidem quædam traditio, quam veteres Cabalam appellarunt, penes illos conſiſtebat. Cabalam hic cũ dico, non intelligo putidam illam & febriculoſam Iudæorum ſuperſtitionem, qui, non ſecus atque

olim

olim Platonici & Pytagoræi, in numerorum diverſitate, atque in literarum apicibus neſcio quam religionem ponunt, ſed myſticum ſacræ Scripturæ intellectum à Deo immortali divinitus inditum. Ipſi illi Sacroſancti Euangelii præcones, atque tubicines cabaliſtæ recte dici poſſunt. Myſteria enim cuncta, quæ ad illa fere tempora veluti ſigillo obſignata clauſerat divina providentur, primi miſeris atque ægris mortalibus tanquā ſalutare pharmacum propinarunt. Huius quoque generis illa antiqua cabala fuit, myſteriorum plena, quam ſibi non ſcriptam, ſed verbis trāditam reliquiſſe Moſem Iudæi affirmant. Porro, ut diverticulo ad rem redeam, uti quaſcunque lites præcipue autem criminales patuiſſe concilii magni auribus docuimus, ita temporibus illis, quibus Romanorum obno-

obnoxii fuere imperio, condemnatio quidem relicta, ſed ipſa animadverſio Procuratori Romano relicta eſt. Ita condemnationem Servatoris noſtri ſecuta Pilati animadverſio ex furioſi Populi petitione. Debuit autem ſe ſiſtere Servator noſter coram concilio magno, quia vatum cauſa coram hoc collegio decidebatur. Quo alluſit divina pagina, cum extra Hieroſolymam nullum Prophetam perire traditum eſt. Magna autem hæc concilii poteſtas, ubi ſumma rerum ad Romanos gentium dominos pervenit, multum fracta atque imminuta eſt. Cũ enim Hieroſolymis Synedrii legitima ſedes eſſet, eâdem fere poteſtate per plura oppida Sabinius diſſipavit, quo facilius maximam eius autoritatem contunderet atque elideret. Atque ea Synedria poſt difficillima urbis tempora perſtitiſſe veriſſi-

riſimile eſt. Duo præterea minora Hieroſolymis fuere collegia, ad quæ ordinariæ lites devolvebantur, quorum numerus viginti tribus iudicibus conſtabat. Sicuti & in ſingulis civitatibus, de quibus non opus eſt prolixum ſermonem inſtituere. Porro ſicuti penes reges, ita poſtea etiam penes Pontifices ſummum imperium fuiſſe, ex Hiſtoriis notũ eſt. Iura regia peculiari libro conſcripta fuiſſe ſacrum volumen 1. Sam. c. 10. declarat. Cuius hoc videtur fuiſſe argumentum, quod in Deut. Dominus dixit: conſtitue regem quem Deus elegerit ex popularibus tuis. Ne alienigenam regem facito, qui non ſit de gente tua. Cum autem fuerit conſtitutus, ne comparet ſibi equos multos, queis confiſus reducat populum in Ægyptum. Edictum enim vobis eſt ne amplius illam viam repetatis. Sed nec uxores habeat

habeat plurimas, quæ pelliciant animum eius, neque argenti vel auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio, deſcribat ſibi exemplum legis huius ex illo volumine quod penes Sacerdotes & Levitas eſt, habeatque illud ſecũ, & legat omni vita ſua, ut diſcat vereri Deum ſuum, eiuſq; ſanctiones obſervare, atque ut animus eius non efferatur ſuperbia neque contemnat cæteros. Sed quare potiſſimum reges uncti fuere? Ut eo ſacroſancta eorum poteſtas deſignaretur. Talis enim unctio ſpiritualem unctionem denotabat. Unde & oleo delibutos Prophetas nemo dubitat. Cũ enim maieſtas regia divinam imitetur, etiam vires ab ipſo ſupremo rege mutuari decorum fuit. Hinc apparet ipſam religionis conſervationem ad Regem ſuo iure pertinuiſſe, exercitium vero penes Levitas & Sacerdotes fuiſſe.

Quare & apud gentiles antiquiſſimos quoſque reges, Politiæ & ſacrorum ſimul curam habuiſſe conſtat. Et ipſe poëtarum Princeps Homerus ideo διοτρεφέας βασιλῆας appellavit. Idemque auctor Deos ſuos egregie unctos inducit. Atque hinc liquet fabuloſe Diis ſuis illud attribuiſſe, quod apud antiquos reges in uſu erat. Cum igitur tanta eſſet regis Dignitas, ſoli quoque in templi atrio ſedere licitũ fuit, ne quidem ipſi Pontifici atque Sacerdotibus. Tradidit Maimonides ipſos Prophetas, divinæ voluntatis nuncios, in terram ſe corã rege conieciſſe. Quæ ſpecies adorationis Orientalibus ſemper familiaris etiam in gentilem ſuperſtitionem poſtea abiit. Sed apud Iudæos utique externi honoris imago & ſpecies fuit. Inter divinam & regiam adorationem accurate diſtinxerunt Iudæorum magiſtri.

Quænam fuerit regis in divino populo autoritas perſpicuum eſt. Iuſtitiæ bellique præſidem & veluti dictatorem perpetuum recte quis dixerit. Abſolutum illud quidem fuit imperium ſed limitibus ſuis circumſeptum. Lex divina pro ſepimento erat, ipſa quoque voluntas populi publicum regiæ poteſtatis frenum erat. Etſi enim in regia ſtirpe Davidis familiam ſceptrum ſequebatur, acceſſiſſe tamen populi voluntatem ex ſacro volumine conſtat. Reges enim populi cauſa conſtituti, qui ſi à virtutis gradu deflexerint, & in tyrannidem præcipiti via abierint, removeri poſſe ratio poſtulat. Atque ita incitabantur Principum animi ad bene merendum de Rep. Qui rationem actorum reddere debet, & cuius poteſtas in poteſtate populi eſt, quam maxime ſollicitus eſt, ne in aliquid impin-

impingat quo Remp. lædat, & à criminibus ſi non proprio inſtinctu reverentia tamen deterretur. Accedit quod apud Iudæos de gravioribus cauſis, de bello indicendo, de imperii limitibus proferendis, in queis ſalus Reip. conſiſtebat, ipſe populus in comitiis deliberabat. Facilius multi quid conducat perſpiciunt, quam unus vel pauci. Recte ab Ariſtotele dictum, coniunctam multitudinem ſapere, ſeparatam non item. Nonnunquam viliſſimi mortales expedita conſilia dedere, quæ ipſi talia eſſe ignorarunt. Atque hæc ſi à ſapientibus iudicii acie trutinentur, multum ſæpe momenti trahunt. Quin & ipſe rex in iudiciis modo ſolus, modo adhito populo vel Phylarchis tribuum, lites dirimebat. Ex his quæ diximus in quibus vera maieſtas regis conſiſtat apparet. Non eſt illa maie-

ſtas, arbitrio ſuo cuncta moderari, voluntatē pro lege ponere, ſed in ſalute populi curā ſuā ponere, eiuſdemque inſtitutis obtemperare. Etiam obſequium cum legitima autoritate mixtū non minuit maieſtatem ſed extollit. Non ille meo iudicio rex maximus qui Auroram cum Gadibus coniunxit, ſed is, qui etſi exiguo limite, prudentiæ, juſtitiæ, religioni ſe devovit, qui non tam propriam maieſtatem, quam maieſtatem populi ſui ſpectat. Porro in iudiciorum ordine vel ſacratiſſimis inſtitutis ſingula hic inveſtigare non opinor inſtituto noſtro convenire. Ea autem quæ ſingulare atque eximium aliquid præ ſe ferunt, indagare noſtrum eſt. Inter quæ illud eminet, quod omnes venditiones agrorum ſingulis quinquaginta annis, cum iubilæum inſtituebatur, retractarentur, atque poſſeſſiones omnes ad prio-

priorem dominum redirent. Singulis enim tribubus ſingulíſque familiis portionem aliquam agri conſtituerat divinus Moſes. Ne autem labentibus annis ii, quorum res ad incitas redierant, ab opulentioribus opprimerentur, atque divites aliorũ dominia ad ſe traherent, prævidit divina autoritas. Nimia enim in Rep. inæqualitas diſcordiarum mater, & multorum paupertas ad res novas iuſti doloris ſtimulo inſtigat. Recte alibi Plato dixit communionem bonorum multas poſſe tollere in Rep. difficultates. Novum hoc fortaſſe & inauditum, cum videatur contrarium magis expedire, cũ introductâ tali communione, ſingula vitæ officia peſſum irent. Nos igitur talem communionem intelligimus, quę ſingulis integras & diſtinctas poſſeſſiones relinquat, neque illos, quos paupertas atque iniquitas

Fortunæ mordet, à iure Naturæ excludat. Recte alibi Horatius, Nam propriæ telluris herum natura nec illum nec me nec quemquam ſtatuit. Sed cum ita plerunque mortales ærugo peculii inficiat, ut difficillime quis poſſeſſione ſua excidere velit, ſed omnes nervos eo intendat ut opes quantum in ſe eſt concumulet, ſapientiſſimus Moſes legem præfixit, qua divitum avaritiæ, & pauperum egeſtati ſuccurrebat. Vidit utique etiam hoc cordatiſſimus Pop. Rom. cum lege Solonis ne quis plus quam quingenta iugera poſſideret. Sed paucorum potentia atque inexplebilis cupiditas facile eam legem conculcavit. Quantas itidem Lex Agraria ſeditionum faces accenderit, antiquiorum monumenta oſtendunt. Verum ea quoque ſpecialis ratio apud Iudæos fuit, cur agri ſinguli tempore Iu-

bilæi reſtituerentur, quia omnes facultates in agricultura conſiſtebãt, qua ſublata cum ventre & fame luctandum fuit. Neque enim unquam opificiis mechaniciſque artibus addicta hæc gens fuit, &, ut alibi quoque in Politicis Ariſt. ſervitutis eam ſpeciem eſſe exiſtimabat. Agricultura autem uti honeſta, ita cum ipſa Natura originem habuit. Dein neque ex mercatura ulli quæſtus, quippe gens mediterranea oceano non alluitur. Rari cum exteris congreſſus, unde gentilium fabulæ originem ducunt. Omnis itaque ſpes in agro colendo, quo adempto ſumma paupertas atque inopia imminebat. Vti autem feſto Iubilæi agri ad priores dominos redibant, ita cuncta priſtinum atque naturalem rerum ſtatum iterum ſortiebantur, ipſis ſervis libertas reſtituebatur. Sicuti etiam apud Romanos Satur-

nalibus ſervi libertatis inſignia geſtabāt. Sed hæc tēporalis libertas, Iudæis perpetua erat. Quare tanto publico gaudio hi dies excipiebantur, ut ipſa lætitia tota Iudæa exultaret, gratulantium vocibus, feſtivo tubarum clangole cuncta perſonarent. Supra monuimus agros aſſignatos ſingulis tribubus. Levitis tamen aliter proſpectum. Decimæ enim fructuum & quicquid erat victimarum illis cedebat. Unde facillime vitam tolerabant. Quinetiam in illorum urbibus omnes etiam ædium venditiones retractabantur, atque iubilæo Levitis reſtituebantur, quod ſecus in aliis Iudææ regionibus uſurpatum. Sed dicat aliquis, quomodo emptorem invenire potuerunt, quæ aliquando reſtituenda eſſent. Reſponſio in promptu, eo minoris vel pluris vendita, quo Feſtum illud ſolenne propinquius vel remotius

motius eſſet. Illud quoque obſervatu dignum, ſingulis ſeptem annis, cum otium & quies telluri concedebatur, cuncta quoque debita remiſſa. Quod utique admirandum Maimonides tradidit. Atque hinc apparet unde Pytagoræi veteresque omnes tantum in numeris præcipue ſeptuario momēti poſuerint. Pleraq; enim ſua inſtituta ab Ægyptiis & Iudæis Pytagoram & Platonem accepiſſe Ioſephus contra Apionē & Euſebius tradiderunt. Ex Chriſtianis Ambroſius egregium huc affert teſtimonium, cum ex populo Iudæorum, inquit, ut plerique arbitrantur, genus Pytagoras duxerit, ex eius diſciplina derivavit etiam magiſterii præcepta, meritoque magnus apud Philoſophos habitus, qualem, ut aiunt vix reperias ullū. Sed ad alia nos tempus & occaſio ducit. Imaginum cultum Iudæis prohibitum

nemo ignorat: an etiā extra cultum imagines quaſcunque humanas habere iure licitum fuerit, in diſquiſitionem venit. Illicitum fuiſſe, ex Ioſepho, qui leges Iudæorum ſibi exploratiſſimas habuit, colligi videtur. Quare populus Iudaicus imagines ſtatuaſque Romanorum, neque ipſas Icones nummis inſculptas admiſit. Superſtitioſe quidem, ſed admodum conſtanter hoc obſervatum. Pontius Pilatus imagines Cæſaris cum ſignis militaribus Hieroſolymam deduxerat. Non quievit Populus, ſed tumultu cuncta flagraſſent, niſi remotæ fuiſſent. Vitellio, cum ad Arabicum bellum ſe accingeret, negatus Iudææ tranſitus, propter ſigna militaria. Neque Herodes maximus Divi Auguſti adulator, quamvis blanditiis populum demulceret, perſuadere potuit, ut ſtatuam Imperatoris intra urbem

reciperet. Egregie hinc Tacitus: nulla ſimulachra urbibus ſuis, nedum templis ſunt. Non regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor. Nummorum tamen icones non fuere in totũ vetitæ. Illicitum illis fuit talem monetam cudere, ſed percuſſa ab aliis uti nefas habitum non fuit. Numiſmata cenſus imagine Imp. Romani conſpicua fuiſſe Euangelium nos docet. Picturam quoque quamlibet vetitam fuiſſe Origines lib. 4. contra Celſum affirmat. Sed maior Philoni Iudæo fides, qui picturas religioni avitæ neutiquam adverſari tradidit. Ex his liquet quam inſulſo mendacio Iudæos Gentiles traduxerint, cum aſinum ſumma ſuperſtitione conſecratum cultumque fuiſſe affirmant. Inter eos princeps Tacitus originem Iudæorum ita frigide atque inſulſe deſcribit, ut viris cordatis

tuſſim moveat. Inter cætera Hiſtor. lib. 5. illud quoque gravitatis ſuæ oblitus effutiit. Aſini effigiem, quo monſtrante errorem ſitimque repulerant, penetrali ſacravere. Atque ea paſſim in animis gentilium invaluit opinio, atque radicem egit. Hinc ipſos Chriſtianos, quos cum Iudæis non ſemel confudit antiquitas, aſinarios per contumeliam appellarunt. Dum hæc iure perſtringimus, occaſio ſe offert ut cætera quoque gentilium deliria penitius inſpiciamus. Nullum profecto ægri ſomnium ita turbidum, quod non de Iudæis credidit ſuperſtitioſa vetuſtas. Neque vero ex decoro & cum verecundia ſed ſolo animi impetu mentita eſt. Quid enim ab inſtitutis illorum magis alienum, quam quod porcum adoraverint? Ita tamen gentilibus viſum, quod ſuibus abſtinerent. Audi Petronium,

nium, Iudæus licet & porcinum numen adoret & cæli ſummas invocet auriculas. Inter immunda animantia, quorum vetitus eſus, etiam porcum Lex divina poſuit. Unde execrationi habitum animal. Et præter divinum placitum, in quo humana curioſitas iure acquieſcere poteſt, ratio quoque interdicti reddi probabilis poteſt. Nullus æque morbus Orientē fatigavit, quam lepra atque inſanabilis contagio. Eidem porcorum natura maxime obnoxia. Quare & vetitus eſus, ne & in homines paſſim eadem virulentia ſerperet. Quid ineptius Plutarcho, qui indomitum illum Deum, furoris miniſtrum, mentis perturbatorem, ipſum dico Bacchum, in ſacratiſſimo divini numinis penetrali coli affirmare auſus eſt? Ipſum Sabbathi diem dedicatum huic Deo, atque hinc Sabaſium appellatum. Vitis
qui-

quidem aurea immenſi ponderis in templo conſpicua fuit. Sed alia ratio latitabat. Vel enim in memoriam fertilitatis uvarum hoc conſtitutum, vel ideo quod ipſa vera Eccleſia viti aſſimiletur, vel forte ornatus cauſa. talia enim cimelia ſibi ſervare Orienti familiare fuit, maxime Perſarum regibus, ſicut Herodotus, Plinius, Plutarchus, Athenæus tradidere. Etiam cœlum & nubes Iudæos adorare falſo creditum. Unde Tacitus dixit vacuam eſſe ſedem & inania arcana. Lucanus deditam ſacris incerti numinis Iudæam dixit. Et Iuvenalis, Nil præter nubes & cœli numen adorant. Talis & ipſe Socrates introducitur apud Ariſtophanem. Iudæos quod attinet, male intellectus ſermo fabulæ occaſionem dedit. Quippe cœlum pro ſupremo numine non ſemel ſacra Scriptura uſurpavit.

Nemo enim huc trahat tit. cod. de Iudæis & cœlic. Gnoſticos enim hæreticos Iuſtinianus intelligit, qui innumeris cœlis conſtitutis ſupremum cœlum Deum eſſe affirmarunt. Nullum de Iudaica religione præclarius teſtimonium quam Tacito excidit: Iudæi, inquit, mente ſola unumq; numen intelligunt. Summum illud & æternum, neque mutabile neque interiturum. Cum itaque unum numen mente colerent, Servatorem noſtrum, qui ſe Dei filium verè prædicabat, morte puniendum clamitarunt. Et ipſe Caiphas veſtimenta ex indignatione laceravit. Conſuetudinis enim erat Iudaicæ, cum aliquã blaſphemiam contra Deum Opt. Max. quis audiviſſet, ſcindere veſtimẽta ſua. Sed an Sacerdoti illud licitum fuerit, merito quis dubitet. Sed tota illa quæſtio ex Iudæorum monumentis deciden-

denda eſt. Quippe inter veſtes Sacerdotales & vulgares magnum utique diſcrimen. Qui veſtes Sacerdotales lacerabat, verberibus excipiebatur. Sacerdotales igitur veſtes ſcindere nunquam licitum, ſed lege divina prohibitum. In vulgaribus ritus itidem ſingularis obſervabatur, ut Pontifex maximus ab inferiore parte diſrumperet, cæteri Sacerdotes, univerſuſque populus à ſuperiori. Quod curioſe à Thalmudicis traditum. De Sabbato quidem ſuperius vidimus, quam inepte Baccho conſecratum fuiſſe tradiderit Plutarchus. Nonnulli tamen inter Gentiles, inter quos Iuſtinus & Suetonius, in plane diverſam ſententiam abiere, ieiunia Sabbatis ſingulis indicta. Unde Auguſtus ad Tiberium: Ne Iudæus quidem mi Tiberi tam libenter Sabbatis ieiunium ſervat, quam ego hodie ſervavi. Quàm incertis

opinionum fluctibus agitentur pagani, cum de Iudæorum ritibus agunt, manifeſtum ex ſuperioribus arbitror. Perſequamur porro ea quæ in Rep. Iudaica ſingulare aliquod ius habent, & libertatem diſpatiandi uſurpemus. De Iure Aſylorum nobilis & peculiaris eſt conſideratio. Longe enim alia eorum ratio fuit, quam qua hodierna licētia utitur. Sex enim urbes refugii iis apertę, quos incōſultus error publice abſolvebat. Quippe vindici ſanguinis, qui cognatione occiſum attingebat, licita erat ultio, niſi ad aſylū reus ſe recipiſſet. Sed Iudæorum magiſtri diſtinxere inter infortunium, cui levis culpa atque negligentia immixta erat, & inter fortuitū omnino caſum. Ius refugii priori conceſſum, poſterior autem ne quidem indigebat. Et hoc eſt, quod Icti noſtri dixere, neminem caſum fortuitum

præſtare. Sex Levitarũ urbibus refugii ius cõſtituit divina autoritas. Cæteras quoque omnes Levitarum urbes idem habuiſſe privilegium, monumenta veterum Iudæorum docent. Sex itaque urbibus, quas Deus immortalis receptioni conſtituit, neceſſitas impoſita, cæteris urbibus non niſi civium voluntas accederet. Etiam altare ius aſyli habuiſſe, ex ſacro volumine colligi poteſt. In urbibus autem refugii tam diu reo manendum erat, donec Pontifex maximus ad communẽ locũ abiiſſet. Eo defuncto libertas reddita, atque criminis dabatur expiatio. Tanta quippe Pontificis ſanctimonia eſſe debebat, ut ne quidem eius conſpectui ſe ſiſtere poſſet, qui etſi imprudenter ſanguine humano contaminaſſet innocentes manus. Iuſtiſſima hæc & ſanctiſſima aſylorum apud Hebræos ratio, ſed quam poſtea in

peio-

peiorem partem gentes, quin & ipſi Chriſtiani traxere. Dum enim quilibet admittuntur, impunitatis ſpes ad quæcunq; flagitia mortales inſtigat. Unde nō male Auguſtus & Tiberius omne plane ius aſylorum Romę aboleverunt. Porro nonnulli etiam iure Hebræorum à crimine homicidii abſolvebantur, quos inculpata tutela liberabat, vel quos zelus divini numinis accenderat. Zelotis enim licuit ἐν αὐτοφόρῳ occidere, ſi æternum numen, ſanctiſſimamque religionem ludibrio aliquem exponere, vel convitiis inceſſere audiviſſent. Tale iudicium primo Phineas exercuit, deinde in morem abiit. Cuius multa exempla à Philone Iudæo & Ioſepho tradita ſunt. Quo iure poſtea, dum à priſtina virtute ad ſcelerum ſentinam paulatim lapſi ſunt Iudæorum mores, ſumma flagitia obtentui habita idem Ioſephus

tradidit. Dubitatum illud eſt, an ex voto, eum quem quis in poteſtate habet conſecrare atque mactare Deo, fas fuerit. Quale fuit Iephtę votum. Sed recte cum Ioſepho reſpondeo, filiam immolavit neque legitimum neque gratum Deo ſacrificium. Nam & improbo tali voto ſolvi potuiſſe Iudæorum magiſtri docent. In cæteris homicidiis autoritas magiſtratus interveniebat, cui eripere gladium, infringere eſt Dei Opt. Max. voluntatem, qui vicarium hunc in terris poſuit. A cruore humano maxima ſemper religione abhorruit ſanctiſſimus populus. Unde traditum à Philone Iudæo lib. 1. de Vita Moſis, etiam illos, qui legitimo bello à cæde hoſtium reverſi eſſent, à Pontifice maximo luſtrari debuiſſe. Atque eo pertinet teſtimonium in ſacro volumine Num. 31. Licitum per leges hoſtem occide-

cidere, quia vitæ noſtræ, omnium que cervicibus inſidiatur. Eſt tamen etiam inter hoſtem naturalis humani ſanguinis cognatio. Ideo luſtratione utebantur, quò qualiſcunque ſceleris imago dilueretur. Sed ad alia, quæ memoratu digna, nos accingamus. Propagatio generis humani maxime quoque cordi fuit divino numini. Quæ lex naturalis cum ſuperſtitione quadam culta. Soli Eſſeni mulierum conſortio abſtinuere. Uti à Plinio & Solino proditum. Polygamiam quoque licitam fuiſſe dubium non eſt. Atq; hoc primo à Deo immortali permiſſum, vel propagandæ proli, vel propter duritiem cordis, infractamque Iudæorum cervicem. Quare & concubinatus & libellus repudii admiſſus. Sed notandum, ipſum concubinatum non multum à vero matrimonio diſcrepaſſe. Cetura & Hagar tam

concubinæ quam uxores Abrahami in ſacro codice appellantur. Dignitate itaque tantum & nuptiali ſolennitate diſtinctæ fuere. Quod Auguſtinus de Civit. Dei lib. 16. c. 34. egregie annotavit. Quinetiam liberi ex tali concubina nati legitime ſuccedebant. De prohibitis iure Iudæorum Nuptiis ratione ſanguinis & affinitatis hic operoſe agendum non eſt. Illud ſilentio prę teriri nequit, peſſime nonnullos, inter quos principē locum tenet ANTONIUS MATTHÆUS Pater, celebris alioquin IC. exiſtimaſſe, Iure divino illicitas eſſe comprivignorum nuptias. Textus ſacræ paginæ quem adducunt, quo probent privignorum matrimonium prohiberi, eſt cap. Lev. 18. verſ. 11. citantque verſiones Iunii & Tremellii, & Piſcatoris. Iunii verſionem quod attinet, eam in aliis editionibus, Hanovienſi puta

& Lon-

& Londinenſi mutavit. Et hominis fatue confidentis eſt, arguere falſitatis veterem & noviſſimam verſionem, qui verba Hebraica, quibus mentem ſuam exprimere voluit divinus legiſlator vel non intelligit, vel non inſpexit. De quibus igitur nuptiis ibi loquitur Sacra Scriptura? Prohibet nuptias ὁμοπατρίου ἀδελφῆς. Atque id omnes verſiones, niſi una Piſcatoris, affirmant, uti mox videbimus. Sed ita, dicat aliquis, vis infertur verbis, vel tautologia S. Scriptura laborat. Hic omnibus aqua hæret, neque quenquam vidi qui ſcopum tetigit. Ego autem affirmo, longe aliter verſ. 9. & 11. cap. 18. Levit. accipi debere. Occaſionem autem dedit diſtinctio verſui nono addita, cum dicitur, *ne retegito nuditatem ſororis tuæ, filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ, cognationis domeſticæ aut exteræ.* Ad quem locum

cũ primo notandum eſt, cognationem domeſticam aut exteram referendam eſſe ad filiam matris tuæ tantum, non vero ad filiam patris tui. Quod interpretes fefellit. Primo itaque articulo per filiam patris tui germanam tantum intelligit ſororem, per filiam autem matris tuæ, vel germanam intelligit, atque ea vocatur cognatio domeſtica, (quicumque enim è patre naſcuntur omnes domi naſcuntur, quod ſecus in matre) vel intelligit matris filiam ex alio patre. Et ad confirmandam hanc ſententiam facit quod disjunctive non copulative dicto v. 9. filia patris tui & filia matris tuæ conjungantur. Quare omnino illa diſtinctio ad matrem referenda eſt. Atque ita difficultas quoque illa tollitur, quare verſus integer, qui videtur de aliâ materiâ agere, inter nonum & undecimum interceſ-

ſerit,

ſerit. Cum enim de filia patris tui aut matris tuæ egiſſet, ſequebatur ut de filia filii tui & filiæ tuæ *S. S*criptura ageret. Cum igitur verſ. 9. actum eſſet de filia matris tuæ tam domeſticæ quam exteræ cognationis, objici poterat illa exceptio, quid ſi pater ex alia uxore filiam genuiſſet? Huic dubio verſ. 11. occurritur. Atque ita omnis tautologia præciditur. Quam quidem interpretationem nemo non eruditorum, niſi fallor, veram & genuinam eſſe fatebitur. Quod ſi hæc naſutis quibuſdam non ſatisfaciat, omnes qui Hebraicæ linguæ periti ſunt, verſu undecimo *S*acram Scripturam de comprivignis non loqui neceſſario fateri coguntur. Textum ipſum Hebraicum hic adjungam & ad verbum Latinam verſionem:

ערות בת-אשת אביך מולדת אביך
אחותך

אחותך היא לא תגלה ערותה
id eſt, ad verbum iuxta verſionem Sanctis Pagnini, quę ad Hebraicam verſionem diligentiſſime ab Aria Montano expenſa eſt, & ex officina Chriſt. Plantini prodiit anno 1584, *Nuditatem filiæ uxoris patris tui, nata patris tui, ſoror tua ipſa, non revelabis nuditatem eius.* Et notandum verbum illud מולדת, id eſt, *nata.* nullo modo ad comprivignam poſſe produci. Et vanum eſt, unicam Piſcatoris verſionem, omnibus quotquot hodieque fuerunt verſiones velle præferre. Nam primo Chaldaica Paraphraſis, quæ maximæ eſt autoritatis, ita ſe habet,

ערית בת איתת אביך דילידא
מן אביך אחתך לא תגלי עריתה

id eſt, ad verbum, *turpitudinem filiæ uxoris patris tui, qua genita eſt à patre tuo, ſoror tua, turpitudinem*

nem ejus non revelabis. Neque vero doctiſſimi Iudæi aliter illum locum interpretantur, de comprivignorum autem nuptiis quin licitæ fuerint vix dubitarunt. Maimonides Cod. de interdicto coitu c. 2. §. 3. בת אשת אביו והיא אחותו מאביו הרי היא ערוה עליו שנאמר ערות בת אשת אביך מולדת אביך אבל אם נשא אביו אשה ויש לה בת מאיש אחו אותה הבת מותרת לו שאין זו מולדת אביו: id eſt, filia uxoris patris ſui, quæ eſt ipſius ſoror ratione patris ſui, hæc inceſtus crimen ei affert: quia dicitur Levit. 18. 11. *Nuditas filiæ uxoris patris tui, cognatio patris tui* At ſi duxerit pater eius uxorem, cui ſit filia ex alio viro, iſta filia ipſi licita eſt: quia hæc non eſt cognatio (ſive filia) patris eius. Rabbi Iacob in Arba

turim, ubi de interdictis matrimoniis : מותר בבת אשת אביו שיש לה מאיש אחר ואפילו חורגה הגדלה בבית מותרת לאחים: id eſt, Licet ei ducere filiam uxoris patris ſui, quam ſuſcepit ex alio marito : quin etiam privigna, quæ educata eſt in iiſdem ędibus, licita eſt fratribus. Abrabaniel ad verſ. 11. c. 18. Levit. ולא אמר בת אמך לפי שאין זו אחות מאב ואם אבל היא בלבד אחות מן האב מאישה אחרת: Neque dicit *filiam matris tuæ* : quia hæc non eſt ſoror ex patre & matre; ſed eſt ſolummodo ſoror ex patre, ſive reſpectu patris, ex alia uxore. Aben-Eſra, quum recenſuiſſet eorum ſententiam, qui ad patris privignam referunt, ſubiicit, ואחר שהמעתיקים אמרו כי בת

אשרת אב מותררת אין צורך
להשיב על חבוראים מלבם ויתקן
להיות בת אשת אביך בת אנוסה:
id eſt, Quandoquidem interpretes dicunt, quod privigna patris ſit licita; non eſt opus reſpondere iſta fingentibus ex mente ſua. poteſt autem eſſe *filia uxoris patris tui*, filia violatæ virginis per vim. Atque ita quoque ſe habet Arabica verſio. Item ſeptuaginta patrum, Divi Hieronymi, omneſque verſiones, Belgica vetuſtiſſima quæ prodiit anno 1477. Delphis, ita recentior atque noviſſima. Quinetiam apud exteros ita ſe habet Italica, Hiſpanica, Gallica, Germanica, Danica. Idemque de omnibus dicendum. Sed latius hic critices campum forte exercuimus. Illud obiter monendum, inſtitutum lege divina, ut frater defuncti relictâ viduâ ſine iuſta prole ex-

la excitare ſobolem conetur. Quod uti Chriſtianorum moribus adverſum, ita peculiaris & myſtica ratio in populo divino latitat. Quippe Deus immortalis ęternitatem quandam familiarum tribuumque in animo habuit, ut certum aliquando eſſet qua familia naſcitura eſſet totius univerſi ſalus. Uti autem peregrinos à religione Iudaica ſemper contemptui habuit verporum natio, ita ab illorum matrimonio vel coitu abhorruit. Nam & gentili fœminæ mortem indicendam Maimonides monuit. Vera itaque quæ apud Tac. lib. 5. Hiſtor. leguntur: proiectiſſima ad libidinem gens alienarum concubitu abſtinent. Unde filios Iacobi Sichemo, qui ſororem in matrimonium petebat, nefas reſpondere, eum, cui præputium integrum, miſceri Hebræorum uxoribus. Porro furti crimen, niſi aliis immixtum

mixtum fuerit, nunquam ultimo ſupplicio punitũ ſacra docet pagina. Ne autem ex egeſtate ad furtum quis ſe accingeret, plurimos modos conſtituit divina providentia. Meſſem uſque ad ſuperficiem terræ falce reſecare illicitum, ſed pauperibus competebat. Lev. 19. Spicilegium prohibitum, & manipulus in agro relictus egenorum erat, Deut. 24. In fine tertii anni decimæ quoque fructuum diſtribui ſolitæ. Opulentiores quoque eleemoſynis tenebantur. De quibus curioſe Rabbini in ſuis monimentis egere. Nam ſi dignitas nobilitaſq; eius poſtularet, cuius res ad egeſtatem lapſæ fuerant, eiuſdem rationem habitam veteres autores tradiderunt. Quare neque inſolens fuit quintam, nonnunquam etiam dimidiam partem bonorum in pauperum uſum erogari. Unde in Euangelio iactabat

ctabat ille ſe dimidium bonorum pauperibus diviſiſſe. Quin & illud admiſſum, ſi quem extrema paupertas urgeret, neque ſolatium aliquod penuriæ adeſſet, in divitis bona ex ſententia Synedrii magni irruere. Quod ita obſervatum eruditiſſimus Maimonides prodidit. Ita enim antiqui Hebræi exiſtimarunt, diſtinctionem dominiorum non habere locum, quando neceſſitas Iuris naturalis prævalebat. Cuncta enim hominis cauſa à Deo immortali creata. Raro itaque Iudæi mendicabant, vel furti crimine ſe polluebant. Quamvis poſteriores Iudæi gentibus ſua eripere non magnum credidere crimen. Sed illud ex malitia gentis Iudaicæ profluxit, quæ ſingulas gentes tanquam eluviem atq; ſentinam orbis præ ſuo populo exiſtimabat, quæ divinum illud atque immutabile numen, avitam reli-

gionem iactabat, eodemque odio peregrinos proſecuta, ut Græcorum diſciplinis imbui piaculare habitum ſit, cuncta denique humanitatis officia tantum iis tribuerint, quos religio eadem coniunxerat, cæteris denegaverint. Hinc Iuvenalis alibi dixit,

Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Sed ad rem: cum itaque tanta paupertatis ratio apud antiquos Iudæos habita ſit, rarius quoque inter ſuos furta committebantur, quorum parum intererat ea committere. Unde & iure divino mitior furtorum pœna, pro frequentia enim criminum augeri vel minui pœnas ratio Politica poſtulat. Neque vero Politicæ Divini populi leges, quia illi ſpeciales, Chriſtianos conſtringunt. Solæ morales æternam Dei volunta-

luntatem habent. Porro inter pœnas criminum jus talionis antiquiſſimum. Quare & plurimæ gentes eam obſervarunt. Talionem etiam Græcis, qui ἀντιπεπόνθος appellabant, denique & ipſis Indis diſſitiſque Barbaris in uſu fuiſſe Diogenes Laërtius & *Strabo* memoriæ tradiderunt. De Romanis gentium dominis, quorum leges atque inſtituta omnes exoſculantur, nemo dubitat, cum & duodecim tabulis illud ſancitum ſit, & poſteriora quoque tempora in accuſationibus approbaverint. Merito Honorius & Theodoſius Auguſti l.17.C.De Accuſ. non impunitam eſſe mentiendi libidinem voluere, cum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii. Quinetipſi Pythagorici, quos magiſtri ſui placita ex ſanctiſſimi Moſis volumine ex parte hauſiſſe ſuperius probavimus, ipſam juſtitiã non

aliter

aliter definiebāt, quā per τὸ ἀντιπεπονθὸς. Sed dicat aliquis, difficillime ius talionis exerceri poteſt, ut eodē modo dens pro dente, oculus pro oculo, vita pro vita compenſetur. Verum quidem illud, ſed ad talionem conſtituendam, oculum, vitam, eodem quantum fieri poteſt modo adimi potuiſſe ſufficiebat. Dein ſi proportio dignitatis inter perſonas eadem non eſſet, arbitrio iudicis pecuniæ multa vel alia pœna infligi poterat. Atque illud antiquo quoque iure Romanorum uſitatum fuiſſe Gellius Noct. Att. lib. 20. c. 1. docuit. Præter pœnam talionis in uſu quoque verberatio, cui talis modus à ſummo legiſlatore impoſitus, ne plagæ plus quam quadraginta infligerentur. Vltimi ſupplicii quatuor genera, cōbuſtio, lapidatio, quę ita inſtituta, ut qui verum compertumque vel blaſphemiæ vel adulterii

crimē cōvinceret, primus in reum lapides cōjiceret, decollatio, ſtrā-gulatio, crucifixio enim Romanis debetur, quā pro totius orbis ſalute paſſus eſt ipſe Servator noſter. Obiter notádú, crucifixionis modos diverſos antiquis fuiſſe, nonnunquā manibus erectis clavi infigebātur, ut in Meſſia cōtigit, nōnunquam capite converſo ſuſpendêre, & per obſcæna ſtipitem egerunt. Vulgo autem erat vel cōpacta crux, in modum x literę, vel immiſſa crux, qualis Meſſię, & literā T exhibebat. Egregie à ſanctiſſimis patribus pręſertim Hieronymo ea depingitur. Ligno enim erecto, tranſverſum aliud immittebatur, ita ut mediū ſecaret. Porro, ut ad alia nos convertamus, ubi iure agi nequit, armis decertādū. Utique & bellū debet habere ſua jura, quibus fulciatur. Quomodo legitime bella indicantur ex iure Divino atque profano, alibi

ſatis excuſſimus. Duplex autẽ belli genus fuiſſe ſacra pagina docet. Indixerat ſuæ genti ſupremum numen, cum eos divina manus in terram promiſſam duceret, ut in univerſum ſeptem populos, quos hic commemorare ſuperſedeo, radicitus exſcinderet. meruerat utique hoc ſumma gentium in Deum contumelia, & idolorum cultus abominabilis. Cæteris bellis, quæ iuſte à ſynedrio magno ſuſcipiebantur, urbibus hoſtium deditis, omnem maſculum morte multare iure licitum fuit. Ita enim loquitur divinus legiſlator Deuter. 20. cap. Egregiam Iudæorum in bello ſuſcipiendo continentiam tradidit Flavius Ioſephus lib. 2. contra Apionem. Quippe docet, non avaritiæ vel ambitionis cauſa, quæ Principes ut plurimum abreptos ad nullam armorum neceſſitatem incitare ſolet, ſed ut legem divi-

nam ſartam intactamque ſibi cuſtodirent, ad bellum prorupiſſe. Nimirum bonis ſuis contenti aliorum divitiis non inhiabant, & limitem imperii, quem Deus ipſis conſtituerat, proferre ingratitudinis ſignum exiſtimarunt. Verſantur tamen in manibus eruditorum veterum Hebræorum monumenta, qui extra ullam cauſam gentilibus arma inferre eos potuiſſe contendunt. Recte alibi Auguſtinus, inferre, inquit, bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſolâ regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt? Neque religionis diverſitas iuſta cauſa belli eſt. Illa perſuaderi debet, non cogi. Præparandus, molliendus illorum animus, qui ſemel perverſam de Deo concepere opinionem. Nulla arma poſſunt neque debent

con-

conſcientiis mortalium dominari. Omnis admodum violentia, etſi cauſa iuſta ſit, irritat contumacem natura mortalium mentem. Primo autem Iudæi pacem fœderiſque conditionem hoſti offerebant, antequam in arma prorumperent. Hæc autem in diſciplinâ militari ſingularia ſibi uſurpavit Hebræorum populus. Iure divino illicitum in bello arbores fertiles incidere, incendio hoſtium terram ſubjicere, fontes occludere, captivis inſultare vel occidere. Tradidit Maimonides ex lege divina, veterumque placitis, nefas habitum, ita urbem milite cingere, ut ab omni latere clauſa fugæ opportunitatem denegaret. Unum itaque latus ſemper apertum fuit. Id colligunt Iudæorum magiſtri ex ſacro volumine Num. 31. Verũ illud non locum habuiſſe videtur, quando prohibitione annonæ hoſtem ur-
 gebant:

gebant: ſed cum aperto marte gladios utrinque ſtringebant. Et hoc maxima ratione inſtitutum. Deſperatio ſæpe victoriam hoſti dedit. Sicuti ictus ſcorpionum tum maxime letalis, cum extrema imminent, ita etiã hoſtes ſæpe maxime lædunt, cum in anguſtias redacti, unde pedem referre nequeunt, in furorem rapiuntur. Sunt & alia multa de ſepeliendis hoſtibus, de diviſione prædæ, ſed quia gẽtibus aliis quoque uſitata cõſulto prætereo. Sicuti eadẽ fere ratio publica ſervitutis fuit, niſi quod Iudæi ſe in ipſa ſervitute liberos eſſe crediderint. Unde & ipſi ſe nunquã ſerviiſſe c. 8. Iohannis affirmant. Non intellexere hunc locũ antiqui nonnulli patres, cum Iudæi revera Ægyptiis, Babyloniis, Romanis obnoxii fuerint. Sed utique antiquum Hebræorum placitum illos latuit. De externa ſervitute nemo

Iudæo-

Iudæorum contradixit, de internâ omnes. Sicuti enim Stoici ſapientem, etiam cum ſervit, ſervum eſſe negant, ita & Iudæi. Ex lege enim omnes liberi erant etiam in ipſa ſervitute. Longe enim aliud eſt ſervire, & eſſe in ſervitute. Illud itidem notatu dignum, ſæpe inſignem calamitatem bellique publicam tempeſtatem intuliſſe genti Iudaicæ ſuperſtitioſam Sabbathi obſervationem. Publicum enim otium etiam à neceſſaria defenſione cives arcebat. Ita Hieroſolymam, ipſam ſanctitatis ſedem, & veluti divini numinis arcanum hoſpitium, primo à Ptolomæo Lagi filio, dein à Pompeio captam fuiſſe, veterum monumenta tradiderunt. Facile captū nobiliſſimum totius orientis oppidū, dum nemo reſiſtebat, ſed in ſummâ quiſque ſecuritate feſtum diem agebat. Ita dum externum cultum

quam attentiſſime populus obſervabat, internā legis medullam neglexit. Ius utique ceremoniale ſemper naturali cedit. Sabbatorum inſtitutio à Deo erat, ſed & illud arctiſſime omnium mortalium animis inſevit natura & naturæ auctor Deus; ut omnem iniuriam, quantum in nobis eſt, propulſemus. Quod & Matthias Haſſamonæus maximus Imp. ſuo tempore Iudæis perſuaſit, ſed recruduit mox eadem opinio atque totum populum contagione affecit. Hæc quidem de Iure militari Hebræorum dixiſſe ſufficit. Illud nunc reliquum ut de ſacris quædam diſpiciamus. De feſtis diebus prolixam hic inſtituere orationem noſtri inſtituti non eſt. Primo quidem Sabbathi inſtitutio nemini ignota. Singula quoque menſium initia ſacra eſſe Deus conſtituit. Neque vero ſinguli dies religione ſua caruerunt

Mane enim & veſperi holocauſtum Deo offerebatur. Feſtum Paſchatis inſtitutum, cum Dominus primogenitis in Ægypto pepercit. Quo tempore per ſeptem dięs panem fermēto imbutum edere nefas habitum. Pentecoſte primitiæ fructuum offerebantur. Præcipui dein feſti dies tubarum, expiationum, tabernaculorum: de anno Iubilæo, & ſeptimo anno Sabbathico ſupra copioſe diximus. Sacrorum cura penes Levitas fuit, qui ex victimis, quorum incredibilis fuit multitudo, & decimis fructuum, facillime vitam tolerabant. Levitis autem omnibuſque adeo Iudæis prohibitus ſanguinis eſus, quod in ſanguine animæ vitæque hoſpitium eſſe crederent. Eadem ratio fuit ſuffocati animalis. Quod & per totum Orientem quam late Turcica ſuperſtitio ſe extendit ſecundum Muhamme-

dis

dis legem obſervatur. Hinc Pytagoræ & Empedoclis decreta ſuam habuere originem, qui animalium eſum in totum prohibuerunt. Unde Pytagoras apud Ovidium conqueritur,

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis & quas humus educat herbis
Fortunata fuit nec polluit ora cruore.

Eadem fere Porphyrius & Plutarchus inculcarunt. Quinetiam nonnulli ex eruditis exiſtimant ante diluvium carne abſtinuiſſe mortales. Cum autem aquarum gurges terrarum huic globo incubuiſſet, ex penuria fructuum & plantarum, quarum naturam ſalſæ aquæ ſterilitate infecerant, carnium eſum Deum immortalem permiſiſſe. Quo pertinere Geneſ.cap.9.videtur. Porro maximum illud numinis arcanum, ipſum

ipſum Sanctum Sanctorum nulli patebat niſi Pontifici maximo; qui ſemel in anno ipſo feſto expiationum ſumma religione atque horrore in intimum penetrale ſe abripiebat. Quippe ipſa veluti divina maieſtas, quæ cœlum terras ac maria implet, illo loco claudebatur. Sigonius in lib. de Rep. Hebræorum quotidie Pontificem Sanctum Sanctorum adiiſſe, ſed ſacerdotũ caterva ſtipatum, ſolũ autẽ quotannis exiſtimavit. Sed merito eum futilitatis arguit vir ſummus Petrus Cunæus. Nam cum ſacra pagina dicit ſolum Pontificem ſemel quotannis ſacratiſſimum illum locum adiiſſe, Sigonius quotannis ſolum, quotidie autem cum cæteris Sacerdotibus ingreſſum vane exiſtimavit. Quanta porro illius loci religio fuerit, Maimonides illuſtre documentum exhibet. Enimvero ſi cui faſtigia & tabula-

tabulata ædium ita excelſa eſſent, ut in ſanctum ſanctorum proſpicere poſſet, non potuit quotidie vel nulla de cauſa planitiem ædium aſcendere, niſi ſemel ſingulis ſeptimanis, quo ædificium fartum tactumque ſibi conſervaret. Evileſcere maieſtatem loci nimis crebro conſpectu crediderunt. Sicuti enim Principes regiam maieſtatem atque autoritatem eo non leviter confirmant, ſi rarius populo ſe ſiſtant, ita arcanum illud penetrale, quod divini numinis veluti receptaculum erat, maiorem venerationem ſanctiſſimumque horrorem incutiebat, ſi conſpectus eius obvius non eſſet. Nihil indignius tulere Iudæi, quam cum rex Agrippa ex palatio ſuo ſecretum hunc locum identidẽ conſpiceret, excelſumq; ideo murũ palatio obiecerunt. Quin & Legati Romam miſſi de facti indignitate publice con-

conqueſti ſunt. Præterea propter templi ipſius ſanctimoniam atque religionem, traditum veterum Hebræorum monumentis eſt, neminem in montem templi venire potuiſſe cum baculo, mantica, calceamentis indutis, pulverulentis pedibus, vel pecuniis linteo involutis. Quod extremum Plutarchus quoque graviſſimus autor non ignoraſſe videtur. Is enim in Politicis præceptis tradidit, quædam templa reperiri, quorum foribus aurum ſuſpendebatur, antequam aditus pateret. Nudum omni ornatu atque abiectum ad genua divinæ maieſtatis ſe provolvere, vera ſupplicationis ſpecies fuit. Hinc iure ſervator noſter nummularios privata autoritate templo eiecit. Porro divina providentia, cum prius templum Salomonis adhuc integrum eſſet, oracula quoque admirando modo per

ſum-

ſummum Pontificem fudit. Lapides enim Urim & Thumim amiculo Pontificis inſerti per coniunctionem literarum futura deſignabant. Quod occultæ Dei potentiæ tribuendum, non certæ ſiderum influentiæ. Quanquam antiqui Arabes gemmis quoque inſculptas imagines habuerint, quas ipſi Taliſmaath appellarunt, quibus prædicendi quoque vis tribui ſolita. Extra ordinem quoque ſanctiſſimos vates afflavit divinus ſpiritus, ut ea prædicerent quæ multis poſt ſæculis veritatem invenerunt. Imitatus divinam vim impoſtor Diabolus, cuius ore etſi nonnunquam vera ut plurimum tamen ambigua Sacerdotes Pythii & Sibyllę furore incitatæ reſponderunt. Quæ reſponſa per obſcæna edebantur. Quanquam & hic plurimum impoſtura quoque ſuperſtitioſam plebē ſeduxit. Unde merito

inquirit Plutarchus de ſubito oraculorum defectu. Recte à Cicerone reſponſum, quia minus creduli homines eſſent. Ita fides numinis imminuta. Munera quoque ubi deſierunt offerri, conticuere rabioſi Sacerdotes. Auri cupido imposturam alit, quod ubi non tinniebat, oracula gentilium obmutuerunt. Porro illud hic quoq; notãdum, aliam fuiſſe Remp. Hebræorum, poſtquam in terram ſanctam eos deduxit Deus immortalis, aliam Iſraelitarum quibus decem tribus continebantur, aliam denique Iudæorum, penes quos avita religio ſtetit. Enimvero poſt mortem Salomonis Hieroboamus, imperandi æſtu flagrans, obtentu libertatis, & tributorum gravitate, decem tribus per ſeditionem Samariam deduxit. Ibi novum imperium, novas leges, novam denique religionem ſtabili-

vit, cultu vituli & columbæ ſacram legem violavit. Illud ab Ægyptiis, hoc ab Aſſyriis mutuatus eſt. Unde Tibullus: Alba Palæſtino ſacra columba ſua. Samaritanos quoque in nomine columbæ circumcidere ſolitos Iudæi tradunt. Et Chronicon Samaritanum columbam Ioſuæ miniſtram fuiſſe docet. Hinc inter Iudæos & Samaritanos continuæ contentiones, quæ nunquam ſopiri potuerunt, emerſere. Columbam autem an adoraverint, merito in dubium vocari poteſt. Multa Samaritanis impegere crimina ex veteri odio Iudæi. Columbam autem adoraſſe hinc originem accepiſſe videri poteſt, quod Aſſyriorum olim & Babyloniorum inſigne fuerit יונה, id eſt, columba. Id autem inſigne vel augendæ regiæ benevolentiæ,

qui

qui illos in Samariâ collocaverat, vel vice ſubmiſſionis uſurpaſſe, Rabbi Azarias in tractatu, cui nomen Meor Enaiim, affirmat. Et potuit quoque poſtmodum ſuperſtitioſius accedere cultus. Sicuti mortalium animi ſæpe ea quæ veneratione quadam proſecuti ſunt poſtmodum ad divinum transferunt cultum. Intenſior enim veneratio, facile in adorationem mutatur. Idololatras fuiſſe poſtquam ſeceſſere à Iudæis Sacra pagina 2. Reg. 17. oſtendit. Poſtmodum ſoli Moſis Pentateucho adhæſere, quod diverſo à Iudæorum literis charactere conſcriptum extat. Quonam autem charactere, an hodierno, an Samaritanorum, prima lingua ſcripta fuerit, præclara quæſtio eſt. Et quidem Samaritana lingua volumen Pentateuchi conſcriptum hodieque adhuc agnoſcimus. Eorundẽ literis uſos fuiſſe

Iudæos ex Hiſtoriis, niſi fallor, apparet. Divus quoque Hieronymus ſuo tempore Iudæos & Samaritanos eodem charactere uſos teſtatur. Ipſique Samaritani idem agnoſcunt. Quinimo plurima id Hieroſolymis monumenta oſtendunt. Neque uſpiam antiquioribus temporibus hodierni Iudaici characteres apparēt. Quid ergo? nunquid Moſis volumen alio charactere conſcriptum fuit atque hodierno? nequaquam. Duplicem enim fuiſſe characterem neceſſario dicendum eſt. Unum ſecretum, quò Sacerdotes ſoli, iique qui myſteriis initiati erant, utebantur, alterum publicum & ad populi uſum comparatum. Secretiorem primus Eſras publicavit, ideoque inveniſſe dicitur. Atque hic eſt ille quo hodie nos utimur. Quem quidem characterem etiam ante diluvium in uſu fuiſſe, doctiſſi-

mus

mus Ioſephus in antiquitatibus Iudaicis teſtatur. Locus itidem hac de re inſignis in Sanedrin אמר מר זוטרא, &c. quæ verba ita Latine ſe habent. *Dixit Magiſter Soutra, vel ſi mavis Magiſter Oubka: Initio data eſt Lex Iſraeli Scriptura Hebraâ & linguâ ſancta.* & mox, *Idiotis reliquerunt Scripturam Aramaam. Quinam iſti idiota? Reſpondet Magiſter Chaſda, Cutthai*, id eſt, Samaritani. Quamvis autem poſtea in Sanedrin alia ſententia proponatur, nimirum Samaritanorum linguâ primos Hebraicæ gentis characteres conſcriptos fuiſſe, illa tamen mox ex cap. Exod. 27. 10. refutatur. Notandum quoque eſt, ipſos Iudæos in ſectas diviſos fuiſſe. De quibus eruditi plurimis egere. Summa hæc eſt. Phariſæorum exquiſitiſſimâ fuiſſe ſectam Paulus Act. 25. innuit.

Quorum nomen indicat vitæ ſanctimoniâ (ſaltem ficta) & dogmatum pondere aliquid præ aliis eximium atque ſeparatum habuiſſe. Sadducæi contra, qui à Saduco præceptore, Antigoni Scochæi diſcipulo, originem traxere, eo abiere impietatis, ut neque ſpiritus ullos eſſe contenderent, neque mortuorum reſurrectioni, neque animarum immortalitati fidem ullam adhiberent. Hoc vero erat religionem ex animis mortalium extirpare. Placuere tamen illi maxime Herodi, eiusque aulicis, quos Herodianos appellavit ſacra pagina. Qui putidiſſimi in adulationem erant mortales: quod venenum in Principum aulis familiare eo magis lædit, quo latentius eſt. Hi apud infirmum & credulum Principem minore metu, ut alibi Tacitus, & maiore præmio peccant, & quo incautiorem deci-

piant

piant, palam laudant. Tales erant Herodiani, qui quicquid placuerat Herodi ſuo, probabant, & ut vetus Perſii interpres loquitur, diem natalem Herodis obſervabant, ut etiam Sabbatha: quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponebant. Eſſenorũ vel potius Oſſenorum ſecta à pietate, Syris enim חסיא pius, nomẽ accepit, iidemq; Haſidæi appellantur. quorũ vita fuit tetrica, auſtera. Vt ſupra relatum, à coniugiis quoque abſtinuiſſe idonei tradiderunt autores. De illorum inſtitutis vide Ioſephum antiq. Iudaic. 18. 2. & belli Iudaici lib. 2. cap. 7. Plin. Naturalis Hiſtoriæ lib. 5. cap. 17. ubi ita loquitur. Ab occidente litora Eſſeni fugitant, uſque quâ nocent, gens ſola & in toto orbe præter cæteras mira; ſine ulla fœminâ omni venere abdicatâ, ſine

pecunia, ſocia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renaſcitur, large frequentantibus, quos vita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per ſæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna eſt in qua nemo naſcitur. Zelotæ à Phariſæorum placitis vix abiere, niſi quod ſolum Deum ſuum Principem & dominum appellarent, ut Ioſephus lib. 2. de Bello Iudaic. cap. 12. tradidit. Acceſſere poſtmodum factionum quoque inter Principes graviſſima incēdia, exarſere ſimultates, dū vitia pullulabant, prodigalis quædam inter illos eminebat avaritia, ubi ſpes lucri aliqua affulſiſſet, ambitione luxuq; cuncta tumebant, vernilibus quibuſdam ceremoniis contra legis divinę mentem ſe involvebant, vultus ad pietatem compoſitus, mens omnibus vitiis æſtuabat. Ioſephus memoriæ reliquit,

liquit, in ipſo templo atque Dei immortalis veluti conſpectu, fratris ſanguine ſacra commaculata fuiſſe. Atque hac occaſione ſub Pompeio, qui Mithridatico confecto bello, pacatâque Armeniâ & Ponto, victoriis elatus ulteriora quærebat, Iudæa vectigalis & ſtipẽdiaria eſſe cæpit. Quippe Ariſtobulus Ionathæ filius primus poſt Babylonicam tranſmigrationem Imperii inſignia cum Pontificatu arripuerat. Quo defuncto Alexander rerum potitus infami crudelitate atque vitæ turpitudine ſibi nomen fecit. Hic cum ex Alexandra uxore Ariſtobulum & Hircanum genuiſſet, atque diem obiiſſet, mater primo, loco filiorũ regnum tenuit. Verum ubi per ætatem capaces imperii evaſerant, inter fratres indigna de imperio certamina exorta ſunt: cum ambitio neque ſanguinis neceſſitudine leniretur,

 ſed

ſed potius in immenſum creſceret, atque alternis vicibus modo hic imperium obtineret, modo expelleretur, donec tandem Pompeius qui materiam belli atque materiam incendii quærebat, Hyrcanum ad ſe profugum atque à fratre expulſum vi in imperium reduxit, Ariſtobulum Romam vinctum deportavit. Ita demũ vectigal Iudæis impoſitum, præpoſuitque iis Procuratoris nomine Antipatrum Aſcanonitam, Hyrcano autem mortuo Herodes precario imperium accepit. Ita ſceptro à Iuda avulſo, vaticinium ſervatoris impletum eſt. Quem tamen calumniis impetitum cruci affixere Iudæi, atque ſe & poſteros ſuos in miſerrimam redegere ſervitutem. Tam cęcum ſcotoma eorum obduxit oculos, ut in ipſa luce videre nequeant. Cordatiores Iudæi tempus ipſum elapſum non diffitentur. Et antiquiſſi-

quiſſimi quique paſſurum Meſſiam arguunt, ut ex Sanhedrin Babyl. liquet & ex iis quæ S. Iarchi inibi adducere non erubeſcit. Et in eam rem in codice Succa Zachariæ 12. cap. verſ. 10. adducitur. Ita evoluto annorum curriculo fatalis & decretorius dies genti pertinaciſſimæ imminebat. quadrageſimo enim à morte Chriſti anno ſplendidiſſima urbs totius orientis, ſanctitatis ſedes, diviniq; numinis receptaculum, obſeſſa, capta, in cinerem redacta: periere intra & extra urbem ad ſexcentena hominum millia, auguſtiſſimum templum ornamentis operumque mole nulli ſecundum violentia ignis correptum. Ita fata viam invenerunt. Omnibuſque humanis viribus ira Dei prævaluit. Valet inſignem attenuare Deus, atque potentiorum conculcare cervices. Ipſe Titus tanto rerum ſuc-

ceſſu urbem cepit, ut ſe divino numine adiutum fateretur. Ita ſanguine tot millium cædi ſervatoris noſtri iuſte parentatum eſt. Excidium tantæ urbis Ioſephus accurate deſcripſit, & luculento carmine Petrus Collatius Novarienſis Preſbyter depinxit. Ab illo tempore fluere res Iudæorum, & retro ſublapſa colluctabatur cum ſuis ruinis, & horrebat nobiliſſima urbs, collapſa ingens gentis gloria. Patriæ ſuæ extorris per totum terrarum ſe diffudit vaga multitudo, opprobrioque paſſim habita Iudaica ſtirps. Ita dirigentibus fatis ut furibunda impietate atque ſeditionibus rueret Iudæa, & totum per orbem divino fulmine diſpergerentur, qui olim Dei æternum filium divinitatis participem non accepere. Vicit rigidũ ius divinæ vindictæ, & ibidem Chriſto novam ſedem poſuit. Donec

nec ſub Heraclii imperio Coſroi Perſarum Regis violentiæ ceſſit. Ad extremum à Chriſtianis longo temporum interſtitio recepta, cum Principes conglobatas coniungerēt vires, ut expeditionem ſacram promoverent. Per continuam ſeriem hi fuere Reges Hieroſolymitani, Godefridus Bullionæus, Balduinus, Balduinus II, Fulco Andegavenſis, Balduinus III, Almericus, Balduinus IV qui & Leproſus appellatus eſt, Balduinus V, cui Pupilli nomen adhæſit, Guido denique Lyziniacus qui ruina imperium involvit. Cum enim avaritia & ambitione Principum cuncta turbarentur, ſi multates exardeſcerent, & Tripolitanus comes cum Salahadino Saracenico, ut loquuntur, Sultano fœdus percuſſiſſet, & iunctis copiis regem peterent, facile faſtigio tanto excuſſus, quod malis artibus ac-

quiſi-

quiſiverat. Lento enim veneno, quod à matre impotentis ambitionis muliere exhibitum fuerat, præceſſorem ſuum extinctum fuiſſe idonei prodiderunt auctores. Salahadinus poſtea ex Tripolitani proditione multa hominũ millia cecidit, atque horrore ſui cuncta proſtravit, regnumque illud diſcordia Chriſtianorum Principum delevit. Nunc vero Iudæa ſub Turcico imperio gemit, & fœdiſſimam patitur ſervitutem. Utinam aliquãdo Chriſtiani Principes lacertos iterum moverent, & nova ibi erigerent inſignia imperii!

CAP. II.

De Rep. Aſſyriorum & Babyloniorum.

ASſyrii rerum domini latiſſime olim regnum ſuum extenderunt. Primique creduntur morta-

mortalium imperandi cupiditate arma cum finitimis conſeruiſſe, cum antea limites imperii tueri magis quam extendere moris eſſet, verum ubi paulatim mortalium animis potentiæ & dominandi cupido inſedit, nihil penſi habitum, & ſanguine humano libidini huic, quæ cunctis affectibus flagrantior eſſe ſolet, veluti litatum eſt. Cum enim arduum ſit eodem loco potentiam & concordiam eſſe, litium facile ſurrexere ſegetes, atque amor pecuniæ & ſcelerata inſania belli caput exeruit. Duos quippe ambitioſos Principes ne quidem totus terrarum orbis capit. Primus itaque Ninus rex Aſſyriorum, cum proxima quæque victoria, ut loquitur Iuſtinus, inſtrumentum ſequentis eſſet, totius orientis populos facile ſubegit. Victores quippe primo horror & veneratio, dein ipſa

ipſa Fortuna ſequitur, quæ ubi in immenſum crevit, habendi imperioſa fames quotidie ad ulteriora ſtimulat. Ex inſtitutis quæ gens olim potentiſſima coluit, illud fere fidem excedit, quod de conciliandis matrimoniis commemoratur. Quippe ubi flos intemeratus virginei pudoris ad maturitatē quandam pervenerat, formoſiſſima quæque & quæ facillime poterat amatorem ad ſe trahere atque igne ſuo veluti comburere, publice quotannis per præconem venalis erat, quique pecuniæ plurimum offerebat, in cubile ſuum deducebat. Illud æs in fiſcum redigebatur, & ne deformes matrimonii privarentur fructu, eâ pecuniâ connubio locabantur. Deformitas nimirum pulchritudine pecuniæ compenſabatur, quæ omnem plane maculam facillime abſtergebat. Ita quidem exiſtimabant omni-

omnibus idem ius nuptiale competere, naturæ ſtimulos æquè urgere formoſas atque deformes, intereſſe Reip. fovere mulierum fœcunditatem, libidinemque extinguere. Babylonii quoque ſub Aſſyriorũ fuere imperio. Nullus apud illos olim fuit medicorum uſus. Sicuti autem mater medicinæ eſt experientia, & homo homini natus eſt, cautum fuit, ut qui aliquando languoris morbique eandem paſſi violentiam fuerant, tenerentur medicam operam afferre languentibus, & providerent in tempore ne hoſtis ille humani corporis & fabricator leti morbus vires acquireret eundo. Eâ de causâ in publicum ægrotos deferri ſolitos, ſcriptum apud idoneos autores reperio. Ab his itaque initiis medicina ſimplex originem accepit, quæ nunc mole ſuâ laborat, & diſputationum

æſtu agitatur. Ita ut de morbis, morborumque remediis inter ipſos Sapientiæ Profeſſores & Medicos non conveniat. Ab exprimentis itaque deductam eſſe medendi artem nemo dubitat, quæ cum quotidie inciderent, ut verbis Celſi utar, diligentes primum homines notaſſe, quæ plerunque melius reſponderent, deinde ægrotantibus ea præcipere cæpiſſe. Sic medicinam ortam ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu perniciosa diſcernentem à ſalutaribus. Repertis deinde iam medicinæ remediis homines de rationibus eorum diſſerere cæpiſſe, nec poſt rationem Medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam Medicinam rationem eſſe quæſitam. Nihil Babyloniorum moribus corruptius fuiſſe Q. Curtius auctor eſt. Nullibi maior laſcivia venerisque libertas. Quippe coniuges

iuges & liberos venale corpus hoſpitibus offerre, atque libidini alienæ ſe exponere patres & mariti patiebantur, atque ea vulgo comitas & morum elegantia habebatur. Iidem in vinum effuſi, mulierēſque, ubi vino incaluerāt, pudorem omnem ſimul cum amiculis exuere, nudaſque ſe oculis virorum exhibere ſolitæ, atque ad obſcœnam veneris prurignem ſponte ſua alioquin ruentes, impellebant. Inter illos autem maximæ fuere dignationis illorum vates qui & Chaldei appellantur, quorum officium ſiderum motus & ſtatas temporum vices oſtendere, laudeſque ſuorum regum fidibus canere, divinationes denique inſtituere. Aſtronomiam nulli fœlicius excoluere, quod, ut loquitur M. Tullius Cicero, in camporum patentium æquoribus habitarent, cum ex terrâ nihil emineret quod contemplationi

cœli officere poſſet. Inter primos autem antiquiſſimoſque cœleſtis ſcientiæ cultores fuiſſe exploratum eſt. Neque enim ventoſitati Ægyptiorum calculum aſcribimus, qui ab ipſis Babylonios hauſiſſe ſuæ artis præcepta, cum Belus in Babyloniam colonos traduxiſſet, apud Diodorum Siculum lib. 1. vane iactant. Multa ab ipſis accepiſſe ſummum veri naturæque perſcrutatorem Ariſtotelem veriſimile eſt. Captâ enim Babylone cuncta ſapientiæ illius gentis arcana, eiuſdemque res geſtas Calliſthenes ad Ariſtotelem miſit, ſicuti Simplicius ad lib. 1. de cœlo memoriæ reliquit. Neque ipſe hoc Philoſophus lib. 2. de cœl. cap. 12. diffitetur. Nimia tamen poſtmodum curioſitas ſcientiam illam mirum in modum infecit. Dum enim volvi vident perpetuo motu ſidera, omnia ſuo ambitu cœlum amplecti,

cti,

ſti, dum admirantur ſtatas eiuſdem viciſſitudines, tandem aſtris omnium rerũ fata immutabilia ſtultâ ſuperſtitione inſcripſerunt, nihilque adeo publicè privatimque aggredi auſi fuere, niſi prius inſpecto atque in partes vocato cœlo, tanquam ſi literis ea ibidem conſignata eſſent. In quam rem conſiderabant τὰς ἐναλλαγὰς τῶν ἐτῶν καὶ μηνῶν, converſiones annuas, & mẽſtruas, μεταβολὰς τοῦ ἀέρος, mutationes aëris, ἐπιλογὰς electiones, γενεθλιαλογικὴν, prædictiones ex nativitate, denique ἐρωτήσεις, interrogationes. Eo denique fatuæ confidentiæ abiit hæc Chaldæorum ſuperſtitio, ut retro ex motibus effectibuſque natale momentum comprehendere ſe poſſe aſſererent. Sicut L. Tarrutium Firmianum imprimis Chaldaicis artibus eruditum factitaſſe legimus, qui non tantum ex Romuli rebus geſtis natales eius demonſtravit,

ſtravit, verum etiam Romanæ urbis primordia declaraſſe legitur. Ita aſtra quoque, ſi Diis placet, ipſis lapidibus imperabāt. De hâc arte ita Propert. lib. IV. loquitur.

Aſpicienda via eſt cœli, verſuſque per aſtra
Trames, & à zonis quinque petenda fides,
Fœliceſque Iovis ſtella, Martiſq; rapacis,
Et grave Saturni ſidus in omne caput.
Quid moveant Piſces animoſaq; ſigna Leonis,
Lotus & Heſperiâ quid Capricornus aqua.

Ipſa quidem ſidera in hæc inferiora multum valere experientia rerum magiſtra docet. Sed liberrimam noſtram voluntatem, ſingulareſque actiones illorum neceſſariæ potentiæ attribuere impium, profanum. Quare & lege divina prohibitum fuit. Audi hic Chryſoſtomum aureæ eloquentiæ

tiæ ſcriptorem, in oratione v. περὶ εἱμαρμένης. Εἰ γένεσις ἐστὶν, κρίσις οὐκ ἔστιν. εἰ γένεσίς ἐστιν, Θεὸς οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστιν ἀρετὴ, οὐκ ἔστι κακία. εἰ γένεσίς ἐστιν, πάντα μάτην, πάντα εἰκῇ καὶ ποιοῦμεν καὶ πάσχομεν, οὐκ ἔστιν ἔπαινος, οὐκ ἔστιν αἰδὼς, οὐκ ἔστιν αἰσχύνη, οὐκ εἰσὶ νόμοι, οὐκ εἰσὶ δικαστήρια. id eſt, Si prædictiones genethliacæ vires habeant, iudicium nullum eſt: Si geneſis eſt, fides non eſt: ſi geneſis eſt, Deus non eſt, non eſt virtus, non eſt vitium: ſi geneſis eſt, omnia fruſtra, omnia temerè & agimus & patimur. non eſt laus aliqua, non vituperatio, non eſt pudor, non eſt verecundia, nullæ ſunt leges, nulla ſunt tribunalia. Contra autem hanc artem pluribus hic calamum acuere, inſtituti noſtri ratio non patitur. Obſervationes ſiderum coctilibus lateribus inſcripſiſſe Plinius auctor eſt. Qui antiquiſſimus modus ſcribendi, nam & ipſe Deus immortalis mandata ſua lapideis inſcripta tabulis Moſi

tradidit. Idem Ægyptiis obſervatum Lucanus lib. 3. hiſce verſibus prodidit:

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & ſaxis tantum volucreſque feraque
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Sicuti & Danorum antiquiores ſaxis atq; rupibus inſculpſiſſe literas ſuas, quas vulgò Runer appellant, Saxo grammaticus prodidit. Reprehendit porro Ariſtoteles Politicorum libro III. cap. II. magnitudinem urbis Babylonis, dicitque totius provinciæ vel gentis ambitum potius continere quam civitatis. Urbs immenſæ magnitudinis, ut idem refert, capta, neque hoſtem nonnulli poſt triduum ſenſere. Non auditus militaris clamor, indomituſque Martis ſtrepitus, non viſa cruenta ſigna, poſt tanti temporis

poris ſpatium. Utique immenſæ magnitudinis urbes mole ruunt ſuâ, & hoſtium facile patent inſidiis, atque violentiæ, contra exiguę urbes facile coartari poſſunt. Aurea hic & ubique medioctitas. Babylonem ambitu ſuo complexam fuiſſe CCC LXXV. ſtadia, id eſt, duodecim milliaria Germanica, accuratiſſimus Geographus Strabo tradidit. Præter cætera quæ admiranda tradidit Q. Curtius præcipui ſemper nominis fuit turris Babylonica, quam exporrectam fuiſſe altitudine ad quatuor miliaria Hieronymus lacteæ eloquentiæ autor in cap. 14. Eſaiæ prodidit. Sed fabuloſum hoc & putidum eſſe illi norunt, quorum præcordia de meliore luto effinxit benigna mater Natura. Tantæ tamen altitudinis fuiſſe certum eſt, ut hinc Poëtæ figmentorum maximi ingenioſique patroni prima ſuæ fabulę rudimenta

contexuerint, cum referunt, aliquando gigantes montes montibus concumulaſſe, atque cœleſte regnum profanam multitudinem affectaſſe, Iovique arma indixiſſe, ne nimirum terris Deorum immortalium ſedes ſecurior eſſet. Superba utique hominis cogitatio, facile à Deo Opt. Max. protrita in fumum abiit, cum fatali linguarum confuſione per totum terrarum orbē diſperſi ſunt. Porro ſcribit Philoſtratus lib. 1. de Apollonii vitâ, limitum cuſtodes apud Babylonē conſtitutos fuiſſe, quorum munus erat neminem ex peregrinis admittere, niſi genus, patriam, itineris cauſam edidiſſet. Periculoſum enim exiſtimabant intima patriæ ſuæ viſcera iis aperire, quorum ignotus & peregrinus vultus ſuſpicionis cauſam præbere poterat. Si recuſarent, vel in carcerem compingi, vel torturæ ſubiici potuiſſe

Apollo-

Apollonii Tyanæi exemplum oſtendit, cui minabatur Satrapa torturam. Cum ipſam urbem quis intraret, adorare ſtatuam regis auream cogebatur. Porticus in quâ rex ius dicebat, cœli colorem & figuram in modum clypei referebat, & ſapphiro qui itidem cærulei coloris eſt tegebatur. Nonnulla quoque alia Philoſtratus ibidem tradidit, quę conſulto præterimus. Illud memorabile quod Plutarchus in vita Alexãdri prodidit, tantum ſæpe ibi ingruere æſtum, cum ſol ardens ignibus ſuis agros ſcindit, ut ipſa veluti terra palpitet, hordeumque ex humo ſubſultet, atque incolæ pro cubilibus utres aqua impletos habitent. Sed ut manum tandem de tabula tollam, hæc eſt illa Babylon, cuius regnum longe florentiſſimum fuit præcipue ſub Nabuchodonoſore, qui Iudæam ſæviſſima captivitate ex-

hauſit, vinctoſque pedibus in medium conjici flammam iuſſit, qui auream regis ſtatuam adorare detrectarent, pœnaſque meritas à Deo immortali accepit. Hæc eſt illa Babylon divini prophetę Danielis vaticiniis decantata. Quæ cum ad ſummum dignitatis potentiæ, divitiarum faſtigium aſcendiſſet, ſubito fatali quodam imperiorum orbe omnem dignitatis florem amiſit, & in manus Medorum Perſarumque incidit, cum antea luxu & libidine diffluere, & cum vitiis ſuis colluctari cępiſſet, perditique reges rebus elati ſecundis nihil penſi haberent, ſacra & profana contemnerent. Quippe Balthaſar Nabuchodonoſoris nepos, ſacra vaſa olim Hieroſolymis delata, quæ inter theſauros regis recondebantur, in uſum luxus convivalis proferri iuſſerat, eademque nocte, quod ſacra vaſa temeraſ-

ſet,

ſet, vitam regnumque amiſit. Ita ad Medos prius, mox ad Perſas devolutum imperium. Donec poſtmodum, uti notum eſt, Alexandro Magno ceſſit. Admirandum illud, urbem tantæ magnitudinis, ut totius orbis maximam Pauſanias in Arcadicis illam appellaverit, ita in cineres poſtmodum redactam fuiſſe, ut Hieronymus, qui ſub Honorio Imperatore vixit, alibi teſtetur vix è ruderibus veſtigia tantæ urbis ſuo tempore apparuiſſe. Ita Babylon in Babylone quærebatur, inſigni documento, nec regnis nec urbibus quicquam ſtabile eſſe, ubi mortales effreni voluptatum ſe dedere licentiæ, vel ſtultæ ambitioni habenas laxarunt.

Cap. III.

De Rep. Perſarum.

PErſarum regnum unũ ex antiquiſſimis adempto Medis imperio Cyrus conſtituit, Macedonibus Alexander facile vindicavit. Quippe Perſæ divitiis affluentes, luxu conſumpti, magis cum vitiis ſuis quam cum hoſte certabant. Bello inutiles pacis tamen artibus valuere. Quare operæ pretium erit ea quæ illuſtria ſunt in hac Rep. inveſtigare. Primo quidem nunquam fœminæ admiſſæ ad imperium. Sexus enim ille ſequior, imbecillitatis quoddam ſpectaculum, levitatis ſpolium, merito impar imperio cenſetur: Subitæ quidem atque ingenioſæ ſunt mulieres ſæpe in conſiliis, ſed iudicii infirmitate nunquam ſibi conſtant. Recte alibi Tacitus, ſexus hic non imbecillis

cillis tantum & impar laboribus, ſed ſi, licentia adſit, ſævus, ambitioſus, poteſtatis avidus. Dum enim ubique ſibi timet, crudelitate ſe munit. Itaque dum ab his negotia publice ſuſcipiuntur, deterrimus quiſque illorum lateri facile adhæret, & ſub ſpecie adulationis ſacra & profana evertit. Accedit quod ipſa Natura virum mulieri præfecerit, mulieres vero ad generationis opus relegaverit. Præterea illud quoque à Perſis religioſe obſervatum eſt, quod toti fere Orienti familiare, neminem ad imperium ſuſcipere, quem corporis mutilatio, vel naturæ in quibuſdam membris infirmitas notaret. Malum illud omen atque augurium cenſebatur, ad regnum promovere, cui corpus integrum non eſſet. Etſi enim ſæpe corporis imbecillitatem, & deformitatem ingenii viribus compenſet provida natura,

natura, tamen credulum ſuperſtitioſumq; vulgus utplurimum de externis judicat, & prout illa in oculos incurrunt, ita autoritatem Principis admiratur. Recte alibi Curtius: pleriſque gentibus ingens in corpore veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos ſpecie egregia & eximia natura donavit. Nemo itidem in regem eligebatur, niſi qui magicis diſciplinis imbutus erat. Per magiam divinarum atque humanarum literarum cognitionem intelligebant. Et recte: acuit enim ingenii vim exercitatio animi. Sicut enim corporis robori multum conducunt exercitia, ita motus animi multum confirmantur & corroborantur aſſidua mentis agitatione, præſertim ſi quis in iis ſtudiis ſe exerceat, quæ utilitatis momentique plurimum Reip. afferre poſſunt. Neque enim Principis

cipis maieſtas ineptis frigidiſque concluſiunculis ſe concludere debet, quibus ingenii ardor extinguitur, ſed ſemper artibus iis, quibus Reſp. fulciuntur, ſe addicat, retineatque, quod eſt difficillimum, ut alibi Tacitus loquitur, ex ſapientia modum. Quippe literarum, ut ita loquar, intemperantia ad molle otium mortales detrudere ſolet, & dum per ſingulas ſcientias mens volutatur, publica ſæpe negligit. Alia profectò privatorum, alia Principum debet eſſe eruditio. Neq; is tam ex eruditorum monumentis, quam ex ſe ſapere debet. Utique magnus eruditionis diſciplinarumque uſus in Rep. bene conſtituta eſt. Quarum præcepta ſi ſapienter à Principe obſerventur, magnum ſecum momẽtum ad ſalutem Rerump. trahunt. Faceſſat itaque ab auribus noſtris indigna Caii Marii ſententia, qua inutiles li-

ſeras eſſe clamitabat. Quippe homo inquietus, truculentus, nihil ſapiente dignum geſſit, niſi quod ſanguine totam Remp. contaminaverit, & pro libitu etiam in optimos cives ferrum ſtrinxerit, quorum nullum aliud crimen inveniebatur, quam quod mori poſſent. Fatendum quidem eſt Turcarum Moſcovitarumq; imperium diutino tempore firmum conſtitiſſe ſine ullis literarum adiumentis. Sed quis fœdam illam incultamque barbariem, & corporis animiq; ſervitutẽ non plane horrendam eſſe exiſtimat? Neque enim ullis bonis artibus, ſed ſola Tyrannidis violentia imperium male conſutum ſibi conſervarunt. Ipſique adeo Turcæ à Chriſtianis non difficulter vincerentur, ſi Principes noſtri ambitionis diſcordiæque cauſa poſthabita iugulum ipſius Tyranni coniunctis viribus peterent. Sed

latius extendit ſe noſtra oratio, dum rei litterariæ iure præſidium patrociniumque ſumo. Ad rem redeo. Herodotus lib. 1. memoriæ reliquit venandi artis tum omnes Perſas, tum etiam ipſos reges ſemper ſtudioſiſſimos fuiſſe. Nam & legibus interdictum erat ſagittam in feras contorquere, antequam primam rex emiſiſſet. Idque admodum religioſe obſervatum Ctesias in Perſicis refert. Cum enim aliquando regem Artaxerxem leo violenter invaſiſſet, & Megalobyſus eum occidiſſet vitamque regi ſervaſſet; tamen ex lege caput ei amputatum. Hodieq; venationi & aucupio deditiſſimi Perſæ. Neque vero tantum venatu exercent ſaltus, vel canibus invia ſylvarum cingunt, ſed & ipſas feras rapacibus volucribus inſectantur, quas ita ex conſuetudine inſtituêre, ut ſe dimittant in-

ter cornua ferarum, & veluti defixæ aciem oculorum roſtro fodiant, donec arctior oculorum orbis luce ſua privetur, atque ita animantia in venatorum inſidias mira arte incidant. Lyncibus quoque & cicuratis leonibus Perſas venationem inſtituere Teixera diligentiſſimus autor prodidit. Præterea Perſarum reges raro ſe populo oſtentabant, ad augendam maieſtatem. Nam ut Tacitus alibi, maior è longinquo reverentia, & omne ignotum pro magnifico eſt. Ex familiari conſpectu ut plurimum evileſcit autoritas. Autoritate prolapſa imperium nutat. Ad benevolentiam populi tamen captandam crebra reges publice inſtituebant convivia. Quo tempore facilis acceſſus, nec quicquam fere negabatur. Quod vetus inſtitutum etiam ſceleribus nonnunquam occaſionem dedit. Herodo-

rodotus enim ſcriptor nulli elegantia ſtyli ſecūdus Ameſtrem eo tempore à Xerxe Maſiſtis uxorem dono petiiſſe refert. Annuit rex: ille barbara ferocia corpus fere totum detruncat, atque miſere cruciatam domum remittit. Ad bellum ventum fuiſſet, niſi rex præveniſſet. Nimia utique illa indulgentia merito vituperanda, attamen illud civile eſt etiam remiſſionum tempore voluptatibus publicis vulgi ſe immiſcere. Unde & Romani ſæpe Impp. ſpectaculorum oblectamentis interfuere, ſolus Tiberius ut plurimum abſtinuit. De illo recte Tacitus: ſævæ cogitationis indicium ſecreto ſuo nimis ſatiari. Hac autem morum via Principem compoſitum eſſe oportet, ut facilitatem cum gravitate temperet, ne vel in contemptus vel in arrogantiæ notam incidat, & neque facilitas autoritatem vel ſeveritas

amorem deminuat. Porro ſucceſſivum hoc fuit regnum, ita ut ratione ſanguinis habita imperium quis adipiſceretur. Is autem ſuccedebat filius, qui primus à patre poſt ſuſceptum imperium in lucem editus eſſet. Qui ante natus, privati loco habebatur. De qua quidem quæſtione alibi diffuſe egimus. Et videndus eſt Hotomannus in Quæſt. Jll. Uti autem totus Oriens ſervire ſuis regibus aſſuetus fuit, ita Perſæ in ultimam ſervitutem prolapſi ſunt. Nam manibus in tergum reductis, rege conſpecto, præcipites ſe in terram dabant, & divinos honores eidem impertiebant. Manus vero in eiuſdem præſentia manicis non inſeruiſſe capitale fuit, uti Xenophon tradidit. Si quis flagris verberibuſque publice percuteretur, gratiæ utique agebantur. Curtius quæcunque arcana Regum mira fide

celaſſe tradidit. Neque metus, inquit, neque ſpes elicit vocem qua prodantur occulta: vetus diſciplina regum ſilentium vitæ periculo ſanxerat. Lingua gravius caſtigatur, quam ullum probrum, nec magnam rem ſuſtineri poſſe credunt ab eo cui tacere grave ſit: quod homini facillimum eſſe voluerit natura. Præterea mandato Principis nemo reſiſtere poterat. Neque ullam conſiliarii Principum habuere poteſtatem, niſi ex arbitrio regum. Unde Xerxes Græciæ bellum indicturus convocatis Principibus dixit: ne viderer, inquit, meo tantum uſus conſilio, vos convocavi, cæterum mementote parendum magis vobis eſſe quam ſuadendum. Ita libertas conſiliorum impediebatur, adulationibus autem ut plurimum tota aula perſtrepebat. Porro ſicuti legibus Perſarū proviſum fuit ne ſubditi ignaviæ

ocioque ſe dederent, cum nihil Reip. pernicioſius ſit quam otioſorum hominum multitudo, ita virtutem nullam latere permittebant, ſed laudibus præmiiſque proſequebantur. Quod magnum utique ad bene agendum incitamentum fuit. Ex æmulatione virtus una aliam trudebat: multoſque pudor in officio continebat. Unde & ipſos hoſtes laudibus ſuis etiam publice afficiebãt, ut inſtigarentur civium animi ad hoſtem virtute ſuperandum. Noverãt enim cordatiſſimi mortales nullum dolorẽ acrius pungere, quam qui ex hoſtium virtute capitur. Atque hinc mendacia quoque ſummo ſemper probro habita. Nihil enim boni ab illo expectabant, qui linguam, quam ideo natura ſepto dentium incluſit, ne ea quæ contra mentem eſſent ſubito effutiret, non poterat compeſcere. Fidem qui perdit, nil

nil poteſt ultra perdere. Tria pręcipue teneræ cereæque pueritiæ inculcarunt, equitare, iaculari, & vera dicere. Maxime in ingratos animadvertebãt, improbumque illum hominem credebant, qui beneficium ſciret ſumere, reddere neſciret. Sicuti enim nemo ſemina in ſolum effœtum & ſterile ſpargit, verum illi agro committit, unde uſura aliqua ſibi ſperanda ſit, ita indignus ille beneficio, qui ne gratitudinis quidem ullam ſpeciem refert. Ingratitudinem catena multorum ſequitur vitiorum, quam opprimere prudentis fuit. Porro cum vaſtum fuerit imperium Perſicum, per præfectos provinciarum neceſſario Satrapiæ gubernabantur. Reges autem frequenter eas regiones perluſtrabant, ne illorum potentia animis creſceret, utque rationes actorum exigeret. Recte alibi Plin. in Panegyr. dixit: Prin-

cipis officium eſt, velociſſimi ſideris inſtar omnia inviſere, omnia audire, & undecunque invocatum ſtatim velut numen adſiſtere. Tanta autē ſeveritate iniuſtitiam punivere, ut Siſamnem præfectum vivum excoriatum ideo veterum tradant monumenta. In nullum præpropere animadvertebatur. Quippe feſtinata iudicia temeritas inconſultuſque calor plerunque ſequitur. Si autem merita in Remp. ſuperarent crimina, mitius puniebatur. Et profecto recte alibi Bodinus oſtēdit, nihil perpetua pœnarum æqualitate eſſe iniquius. Ubi lata ſententia, ne regi quidem retractare licitum fuiſſe Diodorus Siculus teſtatur. Præterea teſtantur antiqui ex curribus ut plurimum militaſſe Perſas. Qui quidem maximam ſæpe hoſtibus ſtragem fecere. Aurigæ enim ſigno dato laxatis habenis in confertam hoſtium

ſtium aciem irrumpebant, diſtra-ctiſque & avulſis multorum mortalium membris miſere dilacerabant. Tales currus octiiugos habuiſſe Cyrum, quibus ligneæ turres imponerētur, Xenophon prodidit. Atq; ii quidem currus falcati Romanis appellantur. Falces enim acutiſſimæ axibus curruum inſertæ obvia quæque demetebant. De quibus egregius locus Curtii: ducentæ falcatæ quadrigæ unicum illarum gentium auxilium ſecutæ ſunt. Ex ſummo temone haſtæ præfixæ ferro eminebant. Utrinque à iugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura ſpicula eminebant in adverſum. Aliæ deinde falces ſummis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram dimiſſæ, quicquid obvium concitatis equis fuiſſet amputaturæ. Perſæ equitatu ſemper in bello præcipue valuere. Nomenque ipſum

nihil

nihil aliud quam equitem denotare illi norunt, qui prima labia fonte orientis imbuerunt. Et dixit alibi Propertius Parthum equitem ſine aqua multa millia currere. Perſas autem & Parthos iam pridem Plinii tempore eoſdem fuiſſe ignorare nequit, qui Plinium legit lib. VI. cap. XXV. Quin idem nomen eſſe, pro varietate dialecti, qui verborum momenta altius eruerunt, iam pridem docuerunt. Ita autem bella geſſiſſe ut fugiendo calamitatem hoſtibus inferrent, notum eſt. Unde Princeps Poëtarum dixit fidentemque fuga Parthum, verſiſque ſagittis. Quod hodieque in regione, quæ Vſbeci nomen accepit, in uſu eſſe Teixera idoneus autor tradidit. Quippe ſubito converſis armis non ſemel ſuperiores evaſere, dum attoniti ſectantium animi & ſæpe laſſitudine confecti liqueſcebant. Perſa

itaque equitem denotat, ſicut & Perſeus, quem auctorem tantæ gentis Strabo & Euſtathius prodiderunt. Hinc Perſeus primus frenum equo impoſuiſſe dicitur, hinc à Poetis, qui antiqua quæque fabulis ſuis involvêre, pennipes dicitur, atque remigio alarum aërem ſecuiſſe fingitur. Porro æternos ignes adoraſſe Perſas nulli dubium eſt. Unde & ſempiterni magorum foculi meminit Ammianus. Virgis autem ignem inter canendum ſuſcitabant. Illum contaminare grande nefas habitum. Unde Euphrates Perſa: πῦρ δὲ μιαίνειν ἡμῖν τοῦ χαλεποῦ πικρότερον θανάτου. Refert Strabo ſub finem lib. xv, ubi æterno igni ſacra faciunt, lignis præſtantioribus corticem adimere & nutrimentum flammæ pinguem olei ſuccum addere. Grande piaculum & morte plectendum, excuſſo ex ore halitu ignem inflare. Ventilatione

Deu-

Deus ille fovebatur. Sub ſpecie vero ignis cœleſtes ignes, οἷς οὐρανὸς ἐστεφάνωται, cultos fuiſſe liquet, præcipue autẽ ſolẽ, mundi oculũ, qui calore ſuo omnia fovet, atque omnia terrarum ſpatia flammis æqualibus annuatim luſtrat, quem ideo à præſtantia Mithram Perſæ appellarunt. Suo adhuc tempore mane Soli obviam currere ſolitos, in excelſis rombum magicum vertere, divina facere, Beniaminus Tudelenſis memoriæ reliquit. Hinc & Pyropum ardentem gemmam, quique radios quoque eiaculari videtur, in honore fuiſſe apud eoſdem exiſtimo. Nam & Ovidius ingenii primus eâ de cauſa regiam Solis ita deſcripſit:

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro flammaſque imitante Pyropo,

Propter incredibilem celeritatem,

tem, qua curſum ſuum dirigit Phœbeia lampas, equos quoque & currus illi conſecrarunt, & cum ſol caput attolleret, iiſdem lucis Principi occurrebant, venerabantur. Quin & conflatos ex metallo ſoli dedicaſſe, ſacra pagina 2. Reg. 23. 11. aperte docet. Ioſias enim equos ſoli ſacros diruit, currus autem violentia flammarum combuſſit. Ita magnum illud, ſi diis placet numen, propria ſua ſacra devoravit. Hodieque nonnulli in Perſia huius ſuperſtitionis tenaciſſimi ſunt cultores, quos Gaor vel potius Gaber appellant. Hinc in uſu hodieque Perſarum Proverbium:

اكر صد سال كبر اذش
فروزد اكر يكدم اندرو
افتد بسوزد

id eſt, licet Gaber per centũ annos accenderit ignem, tamen ſi vel ſemel

mel in eum incidat, eodẽ corripitur. Aquas itidẽ, maria & flumina magi venerabãtur. Itaque in flumen urinam mittere, corpus ſordibus purgare, balneis uti illicitum credebant. Docet hoc Euſtathius Theſſalonicenſis in Dionyſii Alexandrini orbis περιήγησιν. Ideoq; (mirũ dictu) ſulcare maria atq; ſanctiſſimum numen violare nefas habitũ. De Tyridate mago, quem accerſiri iuſſerat Nero Imperator, ita Plinius loquitur: Magus ad eũ Tyridates venerat, Armeniacum de ſe triumphum afferens, & ideo Provinciis gravis, navigare noluerat, quoniam expuere in maria, aliiſque mortalium neceſſitatibus violare naturam ipſam fas non putant. Mare quoque pollui nonnunquam Romanis creditum eſt. Cic. pro Roſcio Amerino: Noluerunt corpus feris objicere, ne beſtiis quoque quæ tantum ſcelus attigiſſent

giſſent, immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen dejicere, ne cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo extera cum violata ſunt expiari creduntur. Illud omnem fidem excedit, magos lanienæ avium relictos, neque ſepultos. Matribus miſceri lege impoſitum fuiſſe. Strabo: τοὺς δὲ μάγους οὐ θάπτουσιν, ἀλλ' οἰωνοβρώτους ἐῶσι, τούτοις δὲ καὶ μητράσι συνέρχεσθαι νενόμισται. Catullus,

Naſcatur magus ex Gelli matriſque nefando
Coniugio, & diſcat Perſicum haruſpicium,
Nam magus ex matre & gnato naſcatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia religio,
Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flammâ pingue liquefaciens.

Magi autem, quorum primus

autor Zoroaſtres apud Perſas fuit. præter ea quæ diximus, hæc fere ſētiebāt curabātq;, ſi Diogeni Laërtio fidem adhibemus: Deorum immortaliū cultui illi ſoli vacabant, illi ſoli preces ac vota concipere. ſacra facere, tanquam arcta neceſſitudo & familiaritas cum cœlitibus iis intercederet ſolis. Illi ſoli de natura atque origine Deorum diſſerere, quos ignem, terram & aquam eſſe arbitrabantur. Hinc in Naturæ quoque ipſa viſcera itum, neque tantum in cœlum aſcendit humana ratio, ſed imum quoque Acherontem movit, & in ipſum maris gremium ſe recepit. Iidem ſtatuis divinam concludere potentiam, quæ per totum mundum ſe exereret, impium iure exiſtimabant. Deos deaſque virili & muliebri effigie colere improbum eſſe. Ignem violare, ut iam ſuperius monui, vel cadavera

concre-

concremare grande nefas habitum. De juſtitia itidem verba faciebãt, paſſimq; eandem inculcabant, utpote quæ in regno bene compoſito ſummos cum infimis pari iure retineret. Prædictionibus iidem atque divinationibus addicti plenum aërem dæmonum atque ſpirituum eſſe cenſebant. Ariſtoteles tamen in libro de Magia, teſte Laërtio, illicitæ divinationis ignaros fuiſſe affirmat. Ipſi victu frugales oſtendebant, quã exiguo contenta eſſet natura. Itaque ſuis contenti, immenſam auri vim, quæ potius præſtringit quam ſatiat mortalium oculos, iure reprehendebãt. Homines finita ſæculorum periodo reſurrecturos atque immortales fore divina & ſacræ paginæ conſona illorum ſententia fuit. Duo Principia eſſe bonum & malum dæmonem, alterum ex his Iovem &

Oromaſdem, alterum Plutonem & Arimanium dici vetus eorundem ſuperſtitio erat. Hæc fere magorum fuit diſciplina. Donec tandem, quæ eſt mortalium ſupina levitas, dum altius Naturæ arcana rimantur, amiſsâ veritate in profundum ſe immiſere errorum puteum, & malis artibus ſe immiſcuere. Utique plus ſcire velle quam ſatis eſt, intemperantiæ genus eſſe, inquit Seneca. Zoroaſtris oracula theſaurum utique luculentiſſimum penes ſe habuiſſe Io. Picus ſcriptum reliquit. Hodie lacera quædam tanquam ex naufragio, ſi modo fides iis adhibenda, extant eiuſdem oracula. Magorum vanitatem merito reprehendit Plinius. Vide eundem lib. 24. cap. 17. lib. 26. cap. 4. ſimilibuſque locis. Porro Perſicum luxum, ut ad alia me convertam, nemo non obſtupeſ-

cet,

cet, ſi Polyænum inſpexerit; ubi Cyri cœna æreis ab illo inciſa columnis legitur. Quis enim verveces quadringentos, boves centum, prȩter innumera ferè alia edulia uni deſtinatos fuiſſe convivio credat? Domus univerſa profuſiſſimis ungentorum atque aromatum odoribus madebat. Regiæ gulæ totus veluti terrarum orbis ſerviebat, ut autor Xenophon in Ageſilao. Famuli διατρίβουσι σχεδὸν τὸ ἥμισυ τῆς ἡμέρας περὶ τὸ δεῖπνον. Si urbem aliquam rex luſtraret, ſingulis conviviis triginta, quadraginta talenta impenſa fuiſſe Theopompus prodidit. Qui Xerxem convivio excepere, omnibus exutos fuiſſe facultatibus lib. 7. Herodotus teſtatur. Quidni & ex Athenæi lib. 4. huc adducam, quod omnem fidem excedere videtur? Refert enim Regem Perſarum cum quindecim convivarum
 milli-

millibus epulum inſtituere, eiuſque prādio quadringenta inſumpta fuiſſe talēta. Nataliū incredibilis erat ſplēdor, Regiq; aliquid denegare alicui eo tempore nefas habebatur. Herodotus lib. 9. illud memorię reliquit. Reges nō ex alio quā Choaſpe bibiſſe flumine, cęteris eius usū interdictū fuiſſe commemorat Athenæus. Ita antiquitus Ægyptii Reges ſoli divino, ut credebant, Nili flumine utebantur, reliquis, ſi maximus natu filius Regis excipiatur, capitalis imminebat pœna, ſi ſacratiſſimam legem tranſilirēt. Videndus Euſtathius in lib. 4. Odyſſeæ. Cum autē Perſarum Reges nulli niſi proprii arbitrii conſtringerentur vinculis, iniuriæ omnes concoquendæ erant. Harpagus, nefandum dictu, filii carnes devoravit, & pro beneficio tanto gratias egit. Humi ipſos Proceres iacuiſſe, rarum non

fuit.

fuit. Et patientiſſime nulla ſæpe de cauſa inflicta verbera tuliſſe Athenæus lib. 4. memoriæ reliquit. Ipſa indignatio vel offenſior vultus criminis loco erat. Illud tamen inſtitutum laudem meretur, nulli bibendi impoſitam neceſſitatem fuiſſe lege Artaxerxis, qui Perſarum antea perditiſſimus mos fuerat, ſicut Ioſephus fide digniſſimus autor lib. 11. cap. 6. nos docuit. Recte utique naturam velle urgere probro habitum. Menti vim facere & corpori impium merito cenſetur. Porro ubi incaluerant mero, pellicum turbã, raro uxores in convivium ducebant. Nemo verò ex convivis oculorum faces in amatas iacere, vel ea factitare quæ veneri incitandæ idonea eſſent, auſus fuit. Quippe ardentes illi oculi telorum iactu in continenti ab eunuchis transfodiebantur. Hinc Lucianus ἐπὶ μισθοῖς. Δεῖ ὥσπερ ἐν τοῖς

Περσικοῖς δείπνοις κάτω νεύοντα κατακεῖσθαι, δεδιότα μήτις εὐνοῦχος σε ἴδῃ προσβλέψαντα μιᾷ τῶν παλλακίδων. ἐπεὶ ἄλλος γ' εὐνοῦχος ἐντεταμένον πάλαι τὸν τόξον ἔχων, ἃ μὴ θέμις ὁρῶντα διαπείρει. Etiam ludis deditos fuiſſe celeberrimus atque ingenioſus ſcacchiæ ludus oſtendit. Inſquo effigies belli, ſimulata prælia, ludicra regna, viciſſitudo labantis Fortunæ conſpicua. Hic confuſæ acies denſantur, virtus & Fortuna in unum conveniunt, hic victores ſubito inverſo rerum cardine vincuntur, fluctuatque hinc & inde area bellorum. Scio Italos ſibi hunc ludum attribuere, ſed Perſicæ originis eſſe, nomen ipſum indicat. شاه Scah Perſis hodieque Regem denotat. Et Scah mat, quo vocabulo utuntur, quando rex ad incitas redactus eſt, Regem perplexum eadem lingua denotat. Hic quidem ludus antiquus ſit an recĕtior, altioris eſt indaga-

tionis. Utique ſimulachrum ludi regii Pollux in Baſilindâ oſtendit. Ex cuius legibus Cyrus, qui poſtea rerum in Perſiâ potitus eſt, miniſtros ob contumaciam flagellis cecidit. Regnum quoq; ludicrum pueris dari ſolitum pro dexteritate adminiſtrati ludi. Perſis itidẽ moris erat vicos quibus rex incederet, ſi anni tempeſtas ferret, paſſim floribus atque odoribus ſternere, quo fragrantia illorum paſſim ſe diffunderet, regiſque nares demulceret. Cum Xerxes Helleſpontum continenti iungeret, pontẽ odoratis ſparſum, myrto iter ſtratum fuiſſe, Herodotus lib. VI. prodidit. Quod & Alexandrum magnum ſecutum Curtius lib. X. tradidit. Et Bagophanes arcis Babyloniæ præfectus cum obviam Alexandro iret, argentea ab utroque latere diſpoſuit altaria, quibus omnis generis thymiamata adole-

bantur. Porro Reges eunuchorum effœminato gregi primas dignitates ipſamq; cuſtodiam corporis tribuebant. Quod & Cyrum factitaſſe Xenophon tradit. Unde Tacitus lib. VI. Annal. non deſpectum id genus hominum apud Barbaros ultroque potentiam habet. Primam omnium Semiramidem iuſſiſſe didymorum pondera exſcindi Ammianus Marcellinus lib. XIV. retulit: Poſtremo, inquit, multitudo ſpadonum à ſenibus in pueros deſinens, coloris obluridi, diſtortâque lineamentorum compage deformis: ut quaqua inceſſerit quiſquam, cernens mutilorum hominum agmina, deteſtetur memoriam Semiramidis reginæ illius veteris, quæ teneros mares caſtravit omnium prima, velut vim iniectans naturæ. Alendo proculdubio luxui, fortaſſe etiam fovendæ libidini Regina hos

hoc inſtituit. Quippe, etſi nihil poſſint, amatores tamen mulierũ maximos eſſe eunuchos proditũ eſt. Forma quoque & lævitas, & iuventæ diu ſervata integritas, & arte effœminati mores muliercularum conſortio accepti eſſe ſolent. Donatus in Eunuchum Babyloniis primam hanc ferri violentiam, Hellanico autore tribuit. Ioſephus quoque Nabuchodonoſorem, qui memorabili captivitate gentem Iudaicam afflixit, captivos in ipſo ætatis flore, cum nondum prima lanugo genas veſtiret, ſecuiſſe lib. x. Antiquit. cap. XVI. prodidit. Quicquid ſit irrepſerunt poſtmodum in pleraque Principum palatia. Etiam conſulem fuiſſe Eutropium primum poſtremumque eunuchorum Marcellinus ſcribit. Nulli poſtmodum lege admiſſi. Indignum quippe illos, quos quaſi à conſortio humani generis ex-

torres ab utroque ſexu aut ſnaturæ origo aut clades corporis ſeparaverit, conſularibus faſcibus decorare. Narſes quidem, ut hoc obiter addam, qui ſub Iuſtiniano vixit, antiqua inſcriptione, Vir glorioſiſſimus. Ex Præpoſito. ſacri. Palatii. Ex Conſ. atque Patricius dicitur: ſed utique, quandoquidem conſul ordinarius eſſe lege prohiberetur, codicillaris tantum eſſe potuit. Quem morem Romanis in uſu fuiſſe, nemo ignorare poteſt, qui antiquorum inſpexit monumenta. Iuſtinianus Novell. 70. Novimus enim, quia antiquitus erat quædam præfecturæ figura, quam honorariam vocabant, codicillis ab imperio ſuper ea re collatis; hanc autem ſic appellabant, ut nihil aliud niſi purum honorem iis quibus præbebatur, conferret: Auſonius de Patre;

Cu-

Curia me duplex & uterque ſenatus habebat
Muneris exortem, nomine participem.

Illud admirandum contra cæterarũ gentiũ inſtituta, non tãtum imagines nullas coluiſſe Perſas, ſed ne quidẽ tẽpla diis immortalibus erexiſſe. Et M. Tullius Cicero tradidit, propterea Perſarũ regem templa Græciæ igni ſubieciſſe, quod parietibus deos includerent, quibus omnia deberent eſſe patentia & libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet ac domus. Hanc opulentiſſimã Remp. luxus & incredibilis mollicies perdidit. Facile victus Darius, dum exoletis ſcortiſque ſtipatus, auro munitus, voluptatibus undique cinctus, nullum robur hoſti objicere potuit. Ridiculum fuit, ubi pugnandum erat, cuncta opulentiæ impedimenta ſecum ducere, pelli-

cum

cum ſpadonumque greges circumferre, haſtas argento exornatas, ſpicula auro præfixa geſtare. Macedones melius ferro atque ære militarem in ſpeciem fulgebant, nec impedimentis graves ad imperium ducis ſe inclinabant. Itaque homines aſperis montium aſſueti, facile Perſas propinquo ſole liquidos & luxu conſumptos devicere. Quippe illorum animi minores quam fœminarum. Quinet ipſa prædæ opulentia incitamentum victoriæ fuit. Ingens auri argentique pondus militi ceſſit. Videbatur Darius omnes ſuas fortunas Alexandro offerre voluiſſe. Expeditionem Darii eleganter nitidiſſimus auctor Q. Curtius depinxit. Inter illos qui militię aſcripti erant, Equites quoque ad decem millia recenſentur. Qui ab immortalitate nomen acceperant. Quorum præter Curtium etiam erudititiſſimus

mus Heſychius & Suidas memi-nere. Immortales dicti, quod ſi vel fati iniuria vel morbo vel miſ-ſione deficeret ſtatutus numerus, alii atque alii ſufficerentur. Hoc Herodotus lib. VII. Diodorus lib. XI. alii tradiderunt. Cognatorum quoque Regis nomen maximæ apud Perſas venerationis erat, qui Regem vel ſanguinis vinculo at-tingebant, vel honoris illa ex merito adepti fuerant inſignia, ut ex Eſdra lib. III. cap. III. apparet: cuiuſcunque, inquit, ſermo ap-paruerit ſapientior alterius, da-bit illi rex Darius dona magna, purpura cooperiri, & ex auro bi-bere, & ſuper aurum dormire, & currum cũ aureo freno, & cyda-rim byſſinam, & torquem circa collum, & ſecundo loco ſedebit à Dario propter ſapientiam ſuam, & cognatus Darii vocabitur. Do-ryphoros quoque illos, & melo-phoros appellavit antiquitas.

Athe-

Athenæus lib. XII. Deipnoſoph. hoc tradidit. Ita per ducentos tantum fere annos Imperium Perſicum ſtetit. Ipſa vero amplitudo imperii ſua mole laborabat, atque opibus ſuis ſuffocata eſt. Varias dein mutationes hæc regio paſſa, donec Artaxerxes Perſis reſtituit, cuius familiæ Saraceni iterum eripuere. Emicueree dein rurſus Puiani ex priſco regum ſanguine. Quos excuſſere Tartari. Hodie Sophini avita regna recuperarunt, queis cum Turcis continua bella.

CAP. IV.

De Rep. Aegyptiorum.

ÆGyptii antiquiſſimos ſe eſſe mortalium perſuaſum habuere. Creditumque gentilibus, non tantum cætera animantia, ſed ipſum quoque hominem, compendium illud mundi atque impe-

imperatorem univerſi, Nilū fœcundiſſimum amnium benigna quadam caloris humoriſq; temperie in lucem produxiſſe. De animalium minus perfectorum generatione non plane omnem fidem excedit. Audi Pomponium Melam lib. 1. cap. 9. Nilus æſtivo ſidere exundans non tantum Ægyptum irrigat, ſed glebis quoque ipſis infundit animas, ipſaque humo vitalia effingit: hoc eo manifeſtum eſt, quod, ubi ſedavit diluvia, ac ſe ſibi reddidit, per humētes campos quædam nondum perfecta animalia, ſed tum primum accipientia ſpiritum, & ex parte iam formata, ex parte adhuc terrea viſuntur. Fidem quoque aſtruit magnus ille Naturæ atque librorum helluo Plin. 10. c. 58. Diodorus Siculus, Ælianus, Macrobius, & inter Chriſtianos Baſilius Homilia ix. in Hexaemeron. De Homine idem paſſim

creditum Ciceronis ille æmulus Lactantius de Falſ. Relig. lib. 2. cap. 12. oſtendit, atque ingenioſe refellit. Noſtrum non eſt operoſe ea de re agere, qui fide Chriſtiana imbuti originem mortalium ex divinis literis ſatis ſuperque novimus. Utique tamen Nilum regem omnium fluviorum, & inundatione ſua admirandum eſſe nemo diffitetur. Eundem enim arari, coli, navigari cum ſe in agros ingeſſit, cum vidit quis, non ſtupore quodam rapitur? Expatiari modo per apertos campos flumina, modo iterum ſtato tempore ſubſidere? Oppida repente inſulas fieri, nullumque hominibus niſi per navigia in ipſis mediterraneis locis commercium eſſe? Eleganter Achilles Tatius alibi dixit: Νεῖλος πάντα γίνεται, ϗ ποταμὸς ϗ γῆ, ϗ θάλασσα, ϗ λίμνη. Hinc divinis quoque honoribus Nilum affectum,

Helio-

Heliodorus autor eſt. Idem enim Αἰγύπτιος Ζεὺς appellabatur. Hinc indictas eidẽ quotannis ferias, ludos inſtitutos, ſacra cantata carmina, nihilque omiſſum quod ad divinum honorem pertineret, Ariſtænetus memoriæ reliquit. Eundem quoque cum anno fuiſſe, quod literæ græcæ dies volubilis anni referrent, Euſtathius in Dionyſium retulit. Audi hic Heliodori verba ex lib. 9. Æthiopicorum: τῶν γοῦν κατὰ τοὔνομα στοιχείων εἰς ψήφους μεταλαμβανομένων, πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ τριακόσιαι μονάδες, ὅσαι καὶ τοῦ ἔτους ἡμέραι συναχθήσονται: id eſt, ſi ſingulas τοῦ Νείλου literas ratione quis ſubducat, totidem numeros atq; dies ſunt anni, tercentum ſexaginta quinque colliget. Quinet Ægyptii ipſa incrementa vagi & luxuriantis amnis religione quadam venerabantur. Eo enim tempore tentare navibus vaſtum illud æquor, ne Regibus

quidem & præfectis licitum fuit, ſicut à Plinio traditum. Neque abſonum fuerit hinc rationem arceſſere cur Ægyptii, Ombitæ nimirum, Coptitæ & Arſenoitæ divino honore crocodilum ferociſſimum animal coluerint. Nilum enim hac ſpecie adumbrarunt, quæ illius belluæ indulgentiſſima ſolet eſſe genitrix. Accedit quod à Plutarcho lib. de ſolertia animalium proditũ eſt, præſagire illum annuam fluminis ſui inundationem, & veluti terminum ſtatuere, neque intra neque ultra illud ſpatium ova ſua ponere. Eo prolapſi fuere inſanæ ſuperſtitionis mortales, ut fœlices illos crederent, quos horrendo rictu deglutiiſſet immanis illa bellua, atque in viſceribus condidiſſet, ut Maximus Tyrius ſermone 38 ſcriptum reliquit. Nulla utique æque res credulum vulgus in peſſima quæque abripuit, quam

ſemel male concepta ſuperſtitio. Religio perverſa multa peperit, ut inquit ille, ſcelerata atque impia facta. Tota quidem Ægyptiorum religio velo quodam mystico tecta fuit, cui cum plebes, ut ſolet eſſe rerum novarum avida, aures & mentem facillime adhiberet, neq; rationem implicitam caperet, tandem in errorum dilapſa eſt præcipitium unde pedem poſtea referre nequivit. Superſtitio enim, ubi ſemel radices egit, multo firmior eſt vero Dei cultu. Sicut zizania ut plurimum altius ſe telluris inſerunt viſceribus, atque optimæ plantæ, eademque difficilius eruuntur, eruta quoque facilius iterum novum capiunt incrementum. Nemo autem exiſtimet ſapientiores Ægypti eo abiiſſe dementiæ, ut portenta animalium colerent, crocodilon, ibin, cercopithecum, canem venerarētur,

atque hortenſia numina ſuſpicerent, ſed ſub occulto illo indicio Deum immortalem, naturæ ſummum diſpenſatorem, qui cunctis animantibus & plantis peculiares quaſdam vires indidit, honore debito concumularunt. Iis enim quæ colebant animantibus & plantis, vel quod Natura benigniſſima rerum parens eximias vires in illis exereret, vel quod aliud quid denotarent, vel quod ſummã inde caperent utilitatem, divinum tribuerunt honorem. Serpentem venerabantur, quod Solis curſum annuum eo pingerent. Ipſum Serapidem, quo & ſolem notabant, ſerpens referebat. Hinc ingenioſiſſimus Poëtarum,

Pigraque labatur circum donaria ſerpens,
Et comes in pompâ corniger Apis erat.

Bovem, quem Apidem appellarunt,

runt, coluerunt, vel tanquam agriculturæ præſidem, vel quod ſomnium Pharaonis ſuperſtitioni cauſam dederit, cum nimirum per ſeptem boves opimos ubertas annonæ, macilentos gravis frumenti inopia ſignificaretur. Quo forte & εὕρεσις & ἀφανισμὸς Oſiridis alludit: ubi enim Nilus largè ſuum flumen in Ægyptum non devolvit, inopia annonæ luctum cauſabatur, & veluti Oſiris ſe occultare credebatur: ubi vero verſo rerum cardine aquarum copiam eructabat, læta rerum facies, & rediiſſe propitium numen creditum eſt: niſi ad ſolis acceſſus & receſſus referendum quis exiſtimet. Lupum quoque Lycopolitana Ægyptiorum ſuperſtitio coluit, & ſub eius ſpecie ſolem vel Apollinem. Hinc & lupum tanquam animatam ſolis imaginem religioſe gentiles Delphis venerabantur, quia, autore Ma-

crobio, ſicuti illud animal ore cruento omnia rapit, ita ſol radiis ſuis trahit vapores, nubes congregat, ventorum flabra movet, tonitrua & fulmina attonitis mortalibus immittit. Hinc apud Græcos quoque Apollinis Lycii cultus. Et mira ideo ſuperſtitione Ægyptii Lycoctonum herbam in ſuam regionem importari vetuerunt. Accipitrem eadem de ratione coluerunt, quod propter igneam pernicitatem ſolis ſymbolū eſſet. Unde & Ælianus hanc avem demortuam ſacros habuiſſe tripodes refert. Tentyritæ ſanctiſſime coluerūt, oderant Coptitæ, quod crocodilo qui illis ſacer erat, infenſiſſimus hoſtis eſſet. Strabo tamen lib. 17. ſuæ Geographiæ accipitrem omnibus admodum Ægyptiis ſacrum fuiſſe refert. Hæc enim animalia peræque ab omnibus religioſo cultu affici affirmat, ex terreſtribus bovem,

ſvem, canem, felem, ex avium genere accipitrem atque ibin, ex aquatilibus lepidotum & oxyringum. Quicquid ſit, Apollini ſive Oſiridi ſacrum fuiſſe accipitrem conſtat: hinc & accipitrum publici fuere curatores, ſicut Diodorus Siculus prodidit. Publici enim ſumptus & huic & aliis animantibus ſacris alendis impendebantur. Soli Thebaidos incolæ cordatiores aliis mortalia contempſerunt numina, Deum immortalem, quem patria lingua Eneph vel Kneph indigetabant, ſummis & divinis venerabantur honoribus. Illi ſolum ſacra facere, epulas apponere, feſtos dies agere, cætera præ illo numina flocci pendere. Eneph autem idem cum Anubi fuiſſe videtur, qui quidem, canino capite deformis fuit, quod ſub canicula Nilus aquas ſuas in Ægyptum devolveret. Hinc & ſacras

Sphynges Ægyptii ex leone & virgine fabricabant, quod Julio & Auguſto menſibus, quando ſol ſignum Leonis & Virginis ingreditur idem flumen intumeſcat atque exuberet. Hinc & Serapis per aquarum quandam effuſionem excitabatur. Hinc Canopi ſimulachrum ventre tumido formabatur. Quod Euſebius lib. 2. Eccleſ. Hiſtor. ſcriptum reliquit. Hinc denique in pompa Oſiridis atque Iſidis vas aquariũ præferebatur. Tota itaque fere Ægyptiorum occulta Theologia vel ad ſolem vel ad Nilum referri poteſt. Canẽ itaq; coluerũt quod quando caniculæ æſtus viſcera telluris torret, exundans Ægyptius amnis, multoque limô turbidus, non tantum fertilitatem terrarum, ſed ipſas quoque terras annuo incremento augeret. Ita cultum animalium è cœlo deduxit feſtiviſſimus Lucianus περὶ

ἀστρολογίας. Quippe, ut Ariſtoteles autor, Babylonii Ægyptiiq; primi aſtronomiam excoluerūt, cœliq; fuere interpretes, & naturâ ipſa ſuperiores cœleſtia ingenio ſuo concluſere. Iſocrates in laudatione Buſiridis cultus religioſi Ægyptiorum cauſam Regibus aſcribit, atque eum inſtitutum refert, ut plebes omnibus plane Regiis edictis morem gerere diſceret. Nihil enim æque Principis autoritatem lædit, atque legum neglectus. Qui ubi ſemel in nervum erupit, fluctuat Reſp. & non ſecus atque inſula natans in mari huc atque illuc impellitur, donec tandem ab externâ aquæ violentiâ abſorbeatur. Plurimis itaque animalibus Ægyptii abſtinuere. Lanatis, inquit Iuvenalis, abſtinet omnis menſa, nefas illic fœtum iugulare capellæ. Hinc ſacra pagina Geneſ. XLVI. inquit: abominatio eſt Ægyptiis omnis

paſtor

paſtor gregum. Non quod omnem cultum pecudum averſarentur. Conſtat enim magnam Ægyptiorum partem in paſcuis inter pecora victitaſſe, & Pharaonem Regem pecudum habuiſſe greges. Sed quod nefandum crederent piaculum, vētrem ſaginare iis animalibus, quæ ipſi adorabant. Hinc ne quidem Cerealia munera carpere ſimul cū Hebræis Ægyptiis licitū fuit. Porro Harpocratē quoq; Deum ſilentii coluere Ægyptii. Res quippe ſacra ſilentium. Qui tacere nequit, loqui neſcit. Taciturnitas aliquem Deo ſimilem reddit, qui profundo ſilentio totum hoc convexum moderatur. Volat irrevocabile verbum, & ſæpe in iugulum gladio retortum eſt. Præcipue is qui imperio admovetur, labrum Harpocratis more comprimere debet, & plenitudinem cogitationum fovere. Hinc Pythago-

thagoras, qui Ægyptum peragravit, Ἐχεμυθίας ſuæ initia accepit. Homo nimirum paucorum verborum & mentis bene ſanæ verus illi videbatur Philoſophus. Multa quoque alia ex Ægyptiorum placitis idem hauſit. Ne dicam hic de ſacerdotum Ægyptiorum mundicie, fabarum interdicto uſu, quas aſpicere ſacerdotes grande habebatur piaculum, ita Pythagorici Philoſophi, non ſecus atque Ægyptii, arcana cœleſtis diſciplinæ ac rerum naturalium myſteria, quodam velamento obduxerunt, ne profanum vulgus temere ad ea accederet. Cumq; & numerandi artẽ ab iiſdẽ Pythagoras accepiſſet, numerorũ involucris rerũ divinarum atq; humanarum ſcientiam operuit. Itaque & Deum numerum eſſe dixit, & ſummum hominis bonum in exactiſſima numerorum ſcientia poſitum eſſe aſſeruit,

ruit, ut Theodoretus Therapeut. XI. ſcriptum reliquit. Quod ſi ita intelligamus, Deum immortalem, qui totum hoc univerſum admirabili modo coagmentavit, & quibuſdam numeris, id eſt, proportionibus devinxit, illius proportionis, qua mundus conſiſtit fundatorē conſervatoremq; eſſe, alienum proculdubio à veritate neutiquā dixit. Ægyptiis autem ſeptenarius numerus maxime ſacer erat. Septē vocalibus hymnos Diis ſuis canere moris erat. Audi Demetrium Phalereum de Elocut. Ἐν Αἰγύπτῳ δὲ καὶ τοὺς Θεοὺς ὑμνοῦσι, διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς, ἀφεξῆς ἠχοῦντες, καὶ ἀντὶ αὐλοῦ, καὶ ἀντὶ κιθάρας, τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται ὑπ' εὐφωνίας. id eſt, ſacerdotes Ægyptii, ubi Diis ſuis ſacra canunt, ſeptem vocalibus ſonitum ingeminant, & pro tibia ac cithara ſonus hic aures ſuaviſſimo concentu demulcet. Quod à Populo Iudaico, qui ſanctiones ſuas ab

ab immortali Deo accepit, mutuati ſunt. Nimirum & diei & anni cuiuſque ſeptimi numerum feſta quadam celebritate coluerunt, & cum longa annorum ſeries fatalem temporis orbem circumduxerat, ut nimirum ad annum quadrageſimum nonum perventum eſſet, ita ut ſepties ſeptimus numerus impletus eſſet, magna religione feſtum illum diem celebrarunt, atque omnia veluti in antiquum ordinem rediiſſe videbantur. Multa quoque alia ab Hebræis Ægyptii accepere, cum populus divinus dura ſervitute in Ægypto premeretur. Nam & præputium præcidere ſolitos ex antiquorum conſtat monumentis. Porro idonei autores cultores illarũ regionũ multo aliter à cæteris vitã ſuam inſtituiſſe tradiderũt. Fœminas quippe forũ & negotia curaſſe, viros lanã polire, texere ſolitos aſſerũt. Plutarchus

chus tamen contra ideo mulieres calceamentis abſtinuiſſe docet, ut ſe domi continerent. Onera illæ humeris, hi capitibus accipiebāt. Parentes cum egeſtate affligun-tur, mulieribus neceſſe, viris liberū erat alimenta exhibere. Cibos palam capiebāt, obſcœna intimis ędiū reddere ſoliti. Viri comam nutriebāt, mulieres tondebāt. Hęc & ſimilia Seſoſtris Ægyptiorum rex inſtituit, qui id ſtudio ſibi habuit, ut Ægyptios ſuopte ingenio ad molliciem proclives plane enervaret, firmādo hoc imperio conducere exiſtimans. Vix enim illorum animi atque ſpiritus ad arma aſſurgunt, quorum mollis atque ſedentaria vita eſſe ſolet. Acceſſit lex quoque, quæ modum ingeniis artibuſque poneret. Cum enim ſellulariis artibus eos mancipaſſet primus Seſoſtris, lege quoque prohibitum fuit fines opificii tranſilire.

Hære-

Hæreditaria: quippe erant opificia, & ad alia atque alia animum accingere vetitum fuit; Ita pleræque artes ad ſummum pervenere faſtigium; dum ſuæ quiſque arti intentus ingenium & induſtriam exerceret, cætera autẽ vel negligeret vel contemneret. Singulis quoque opificiis naſcebatur hinc uberrimus quæſtus, unde facillime vitam tolerabant. Diodorus Siculus libro ſecundo ita Reges vitam ſuam inſtituiſſe refert, ut propriam voluntatem ſemper obnoxiam haberent legibus, neque licentiam pro lege ponerent: & quia, ut ille loquitur, proclivior uſus in peiora datur, ſuadetque licentia luxum, additi illi fuere ſapientiſſimi quique vitæ inſpectores, qui omne ſecretum regalibus vitiis adimerent, & ad virtutem ſuo veluti cogerent exemplo. Ita enim naturâ mortalium comparatum eſt, ut illi, quos

ullus honeſti candor imbuit, præſentiâ laudatorum virorum in ordinem redigantur, & verecundia quadam ad bene agendum ſtimulētur: ubi deſunt voluptatum miniſtri, facile illis frenum iniicitur. Contra ubi aula perditorum hominum turba perſtrepit, ubi voluptatum libidinumque artifices in pretio ſunt, quod alii factitant, ſibi quoque licere facillime credit Princeps, animuſque ſordes vitiorum ex alterius exemplo ad ſe trahit. Quibus in tempore occurrere Ægyptii omnium rerum primum eſſe crediderunt. Et utique præcipue Principi vivendum eſt recte, tum quia virtus ſibi optima merces eſt, tum inprimis ut linguas ſubditorum contemnere poſſit. Si itaque Princeps vera virtute cinctus eſſet, ut populus venerationi Regis tanto magis aſſueſceret, coram populo in templis eundem

eundem laudare inſtituti optimi fuit. Non audiebatur putida Principum adulatio, frequens in aula malum, cui hominum generi ubi patulas aures credulus Princeps præbuit, facile irrepunt vitia, dum nullo habito diſcrimine honeſta & inhoneſta laudantur. Regum itaque nullibi maior veneratio quam apud Ægyptios fuit. Illorum ſalutem propriæ anteponebat populus. Ubi ex vivis exceſſiſſent, ſcindere veſtes, pectora tundere, luto caput fœdare, templa claudere, & fœmineo mixto ululatu laudes defuncti ad numerum cantare ſoliti. Ex arctiſſima ſanguinis neceſſitudine nullus maior indici luctus potuit. Defunctum tamen regem unicuique ex populo accuſare lege licitum fuit. Et ſi crimina vera invenirentur, ipſo honore ſepulchri privari non inauditum fuit. Ita virtutem amplectebantur Prin-

cipes etiam ex metu, ne profanum vulgus iræ atque indignationi habenas laxaret, & contra defunctum inſurgeret. Ægyptiorum porro regum ea fuit morum olim temperantia, ut vino antiquitus abſtinuiſſe Hecatæus prodiderit. Niſi quod poſtmodum certa vini menſura conceſſa fuerit, quam excedere vetitum, ne forte vino perfuſus indecora regno perageret. Accedit quod ebrietas vires corporis animique exhauriat, arcana detegat, atque ipſo admodum vitro, ut loquitur Poeta, perlucidior habeatur, quod denique ridiculos homines reddat. Hinc apud Indos olim conſtitutum memorant idonei autores, mulieri quæ Regem ebrium occidiſſet præmium illud conceſſum, ut ſucceſſori nuberet. Regius autem potus Nili potiſſimũ aqua habebatur, quæ ſaporis dulcedine cunctas ſuperabat. Philadel-

ladelphũ Regẽ Ægypti, cum filiam Berenicen Aſſyriorum Regi in matrimonium locaſſet, Nili aquam magnis accerſiviſſe impenſis proditum eſt. Neque ſolum Regis antiquioribus temporibus hæc fuit temperantia, ſed & ipſos homines privatos temperantiſſimos fuiſſe tradunt antiqui. Refert Plutarchus in Convivio, Ægyptiorum fuiſſe inſtitutum, cum ſpiritus vino & hilaritate incaleſcerẽt, ut ſceletum in menſam afferrent, cuius horrore voluptatem immodicam fugerent atque modum ſibi ponerent, cum mortis imago ob oculos verſaretur, monerenturque honeſtis atque cordatis actionibus tempus impendi oportere, cum vitæ ſumma brevis, volubile tempus ſit, quod aufugit antequam veniſſe videatur. Quod per voluptatum miniſteria, per negligentiam effluit, perdimus. Ipſa comeſſatio

neſcio quo pacto animum frangit, & particulam divinæ auræ premit, ſuffocat. Corpus heſternis epulis grave mentem quoque ipſam humo affigit. Ludo & ioco vacas? Alliciunt quidem illa, trahunt, ſed faſtidium ſui pariunt. Verum alimentum animarum eſt honeſta contemplatio, quam nulla ſacietas ſequitur. Videndum quid utile Reip. civibus, amicis, ſibi. Qui ita ſibi incumbit, nullam moleſtiam ſibi parit. Etſi itaque prima fronte intempeſtivum videretur, ſceletum conviviis adhibere, unuſquiſque tamen ſui officii monebatur, ne vitam, quæ torrentis in morem præceps fluit, ingloriam abire ſineret, neque voluptatum ſe cœno immergeret. Quamvis poſterior ætas multum ab illa morum innocentia receſſerit. Porro Regi quoque diſcumbenti præter vitulum & anſerem nihil apponebatur

batur

batur. Sceptri faſtigio ciconia pietatis eximius, ut creditur, cultor, inſculpebatur, imo autem hippopotami ungula, quod animal per ſegetes depaſci ſolitũ, ubi flava venerit maturitas, Plinius & Ammianus prodiderunt. Patrem quoque occidere Plutarchus de ſolertiâ animalium commemorat. Occulte ſapientiſſimi mortales vim publicam iuſtitiæ atque pietati eſſe debere obnoxiam denotarunt. Audi hic Commentatorem Ariſtophanis in Avibus, ἐν τοῖς σκήπτροις ἀνωτέρω μὲν πελαργὸν τυποῦσι, κατωτέρω δὲ ποτάμιον ἵππον. δηλοῦντες ὡς ὑποτέτακται ἡ βία τῇ δικαιοπραγίᾳ. οἱ γὰρ πελαργοὶ δικαιοπραγεῖς ὄντες ἐπὶ πτερῶν βαδίζουσι τοὺς πατέρας γεγηρακότας βαστάζοντες, οἱ δὲ ἱπποπόταμοι ζῶον ἀδικώτατον, id eſt, ſuperius in regiis ſceptris ciconiam effingunt, inferius hippopotamum, quo obſcure notant vim iuſtitiæ debere eſſe obnoxiam. Ciconia enim paren-

tes ſenio confectos alis ſuis geſtare ſolet. Hippopotamus verò animal iniquiſſimum cenſetur. Ea fuit antiquiſſimis temporibus Regum Ægyptiorum vita, exemplo Chriſtianorum Principum, qui voluptatibus ut plurimum vitiorumque ſordibus immerſi aulâ omnem admodum ſanctimoniam expellunt. Pauci nimirum ut loquitur Poëta quos æquus amavit Iupiter aut ardens evexit ad æthera virtus. Indigenę autem reges olim Pharaones appellati. Pharao autem, ut Ioſepho lib. Antiq. quarto placet, veteri Ægyptiorum linguâ regem denotabat. Præter commune hoc nomen ſingulos privatum quoque habuiſſe ex antiquorum monumentis liquet. Quando Abrahamus ſimul cum uxore in Ægyptum venit, Nechoniam Pharaonem regno præfuiſſe Ioſephus tradit. Cenchres appellatus qui popu-

populum Iudaicum graviſſimâ atrrivit ſetvitute, quique Erythræis cum exercitu obrutus fuit fluctibus. Ita alia aliis adhæſere nomina. Porro ſecundæ poſt regem dignitatis fuere Sacerdotes, qui conſilia regibus ſuggerebant, ſacra & profana moderabantur, ex rebus geſtis vitæ ſumebant exemplum. Abſtinentiſſimos fuiſſe mortalium Porphyrius auctor eſt. Ipſe quippe pinguior corporis habitus vitio vertebatur, ne corporis onere graves divinum illud animi lumen veluti in ergaſtulo ſuo clauderent, extinguerentque, atque aciem ingenii in divinis rebus obtunderent, credebaturque autore Plutarcho gracilitas divinæ imagini ſimillima, quæ nullis lineamentis corporis coërcetur. Ideoque Nili aquam, quæ pinguefacere ſua natura credebatur, quam parciſſime biberunt. Et graciles ideo

Dii ab eiſdem formantur. Salem quoque ſuis menſis abdicarunt, quod ad libidinum ſtimulos movendos conducere arbitrarentur. Agninis item porciniſque carnibus abſtinuiſſe traditum eſt. Sapientiæque iidem ſummi fuere antiſtites, multaque ſacræ ſcripturæ congrua habuere, quæ ex parte ab Hebræis, ut ſuperius dixi, accepiſſe, non eſt vana opinio. Mundum genitum, ſub Libra conditum, crediderunt, à qua Hebræi quoque antiquitus initium anni capiebant, donec poſtmodum cum Ægypto egreſſi divino beneficio, ſervitutis graviſſimum iugum à cervicibus ſuis depulerunt, memoriæ divinæ benevolentiæ ęquinoctium vernum conſecrarunt. Æſculapius vetuſtiſſimus Ægyptiorum autor πῆξιν univerſi in poſterioribus Libræ partibus conſtitutam fuiſſe, in ſua myriogeneſi ſcriptum reliquе-

querat. Idẽ tradidit Firmicus ubi de Libra agit. De πήξει illa tradidit quoque nonnulla ſcholiaſtes Tetrabibli Ptolomæi, quem operæpretium fuerit audire, quænam Ægyptiorum de mundi initio ſententia fuerit. Ita autem Græce loquitur: περὶ τῆς εἰώθασι λέγειν γένεσιν Αἰγύπτιοι κόσμου. καὶ γὰρ ἀρχὴν οὐκ ἔχειν, πολλὰς δέ. τὰ δὲ μερικὰ καὶ πολλὰς καὶ μίαν. μίαν μὲν τὴν ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐν τῇ γενέσει τῶν ἀστέρων σύγκρασιν, ἣν εἰώθασι πῆξιν οἱ ἀποτελεσματικοὶ ἀγορεύειν. id eſt, ex abundãti ſolẽt dicere Ægyptii originẽ mundi, neque enim unum initium ſed plura habet. Particularia identidẽ & plura & unum. Unum quidem quod à principio fuit, & in geneſi aſtrorum, temperatam mixtionẽ, quam ſolent illi, qui effectus ſiderum docent πῆξιν ſive coagmentationem appellare. Iſocrates in laudatione Buſiridis eam quoque concepiſſe ſanctiſſimã opinionẽ illos refert, ut ſingulis criminibus à Deo vindice

dice præſentē paratam fuiſſe pœnam crediderint. Eoſdem illibatam religionem iurisjurandi obſervaſſe, & ne quis ſupremo inſultare numini perjurus & exlex in animum induceret ſuum, capitalem iis inflixiſſe pœnam. Qui enim falſis verbis ſe obſtringere Deo immortali auſus fuit, ille omni reverentia numinis excuſsâ nullum immane ſcelus detrectabit. Itaque is qui datorem vitæ deditâ operâ læſerat, indignus quoque vitæ beneficio videbatur. Cum autem maximi Ægypti reditus fuerint, quos vectigal Nili reciprocum ſupra fidem auxit, priorem partem Sacerdotes, alteram Reges, tertiam milites ſibi uſurpabāt. Immenſum autem hæc regio vectigal dedit, cum incredibilis vecturæ commoditas eidem ineſſet, unde Tacitus clauſtrum annonæ & vectigal Provinciarum appellavit. Accedebant

ex Indicis Arabiciſque commerciis concumulatæ opes, quarum negotiationem vetuſtiſſimã fuiſſe Euangelica illa tuba Eſaias cap. 45. evincit. Plinius ſuo tempore ſingulari quodam anno centuplum, nunquam autem minus Indiã per cõmercium Ægypto reddidiſſe refert. Acceſſit urbium hominumque, quanta ullibi, frequetia, ut Theocritus in Ptolomæo teſtatur. Ioſephus accuratus admodũ autor ex libris cenſualibus Romanorũ colligit ſuo tẽpore Ægyptum tenuiſſe ſeptingentas & quinquaginta hominum myriadas. Strabo gravis optimęque notæ ſcriptor, qui ætate Auguſti ipſe ſtipendia in Ægypto meruit, lib. 17. Ptolomæum Auletem Cleopatræ patrem 12500 talentorum annuum tributum accepiſſe refert, quæ ſumma ſeptem milliones & ſemiſſem continet. Additque idem ſcriptor, Regem luxu

luxu diffluentem ignaviæ magis quam regni adminiſtrationi curam adhibuiſſe. Ex tanto reditu prior pars ſacerdotibus, uti dixi, ceſſit. Nemo itaque amplius admirabitur inſanos Regum Ægyptiorum in pyramides, obeliſcos & id genus alias ſtructuras ſumptus. Prodigalitas quippe & pecuniarum contemptus rerum ut plurimum copiam ſequitur, & difficile eſt divitiis, quæ modum nullum habent, modum ponere. Hinc & Ægyptii, uti in rerum omnium abundantia fieri ſolet, ſuperbo tumore præ aliis gẽtibus inflati fuere, inquieti, rerum novarum cupidi, externique imperii impatientiſſimi. Quod cum videret Alexander ille magnus, qui cum ſole oriente latiſſimum ſibi extendit imperium, nomis ſive præfecturis, quas quinquaginta fuiſſe Plinius ſcriptum reliquit, vagam turbidamque multitudinem

nem circumſcripſit. Ita poteſtas diviſa multū diminuta fuit. Sicuti magna flumina in rivos diducta facilius ſuis claudūtur alveis, neque tantum periculum imminet ut vicinam tellurem abſorbeant. Nomarchas igitur Alexander inſtituit, ut gens levis & in calumnias Principū prona in ordinē redigeretur. Laudantur porro Ægyptii à iudiciorum ordine conſtitutiſque legibus. Neque enim ulla fori tabes, neque venalis erat advocatorum perfidia. Neque gratiæ fervor, neque iracundiæ impetus, neque odii invidiæque livor hic prævalebat, ſi antiquis fides adhibenda ſit. Ille nimirum verus eſt iudex qui ab omni perturbatione liber ad iudicandum accedit, & privatas iniurias à publicis ſecernit, qui in conſilium vocat legem, religionem, æquitatem, fidem, quique conſcientiam, quam Deus animis

mis noſtris inſcripſit, integram ſibi conſervat, neque ullis affectibus eam avelli permittit. Maius periculum eſt eius qui iudicat, quam qui iudicatur. Neque iudicia artibus protelabantur. Bis actori & reo ſcribendi reſcribendique dabatur facultas. Tum judicii Princeps (triginta autem admodum erant iudices) ſententiam dicebat, atque in partem potiorem inclinabat monile variis lapidibus cinctum, quod patriâ lingua veritatem indigetabãt. Eo autem Ægyptii imitabantur lapides Urim & Thumim, qui apud Hebræos veſtimento Pontificis indebantur, quibus Pontifex cum oculos arcam verſus dirigeret, ſubito divino ſpiritu imbutus, ex amiculo, literis illis cœleſti virtute protuberantibus, futura prędicebat. Iudicii quoque Princeps apud Ægyptios ſignum veritatis præ ſe ferebat, quod Thu-

mim

mim Iudæi appellarunt. In legibus quoq; illorum nonnulla ſingularia tradidit antiquitas. Si quis, cum poſſet, opem negaverit morituro, puta ſi quis in latronum violentas manus inciderit, naufragio atq; undis iactaretur, apud Ægyptios reus mortis habebatur. Contra bonos mores eſt, imo contra humanam naturam imminenti letho aliquem non eripere, cum poſſit. Etiā noxium, cum ad ſupplicium mortis trahitur, commiſeratione proſequimur. Quid inſontem? pereuntem videbimus, neque adiuvabimus? Crudelitas hæc exemplo punienda. Si auxilium in eius poteſtate non eſſet, cum eos noſſet, denunciare, accuſare latrones tenebatur: illi, qui negligebat, inedia tridui pro pœna erat, certiſque ad numerū verberibus terga lacerabantur. Qui falſo aliquem accuſationis aleæ ſubmi-

ſiſſet, ius talionis antiquiſſimum in uſu erat, ut ſcilicet eadem afficeretur ſimilitudine ſupplicii, quam reo intentaverat. Cogebatur unuſquiſque nomen, vitæ genus, ad Præſidem deferre, convictus mendacii extrema vitæ expectabat. Parricidæ acutis calamis cæſi vivi in ignem coniiciebantur. Si parentes liberis violentas manus addidiſſent, mitior pœna fuit. Diodorus enim Siculus lib. I. Bibliothecæ mortem patri non impoſitam fuiſſe, qui filium occidiſſet, commemorat. Quid igitur? tribus diebus noctibuſque, aſtante militari corona, circa cadaveris aſpectum veluti cruciabatur. Neque enim iuſtum eſſe putabant, eum qui vitam dederat filio, propter eum perire. Maiorque illis pœna videbatur, continuo dolore torqueri. Aliquando vita non eſt beneficium, graviorque ipſa morte habe-

habetur. Acceſſit & ideo mitior pœna, quod nunquam filius niſi iuſte à patre occiſus crederetur. Ipſa nimirum pietas atque indulgentia paterna, ipſa denique natura conſulere ſuis liberis præſumebatur. Quis enim in proprium ſanguinem & coagulatum ex ſuâ genitura corpus deſæviat? Nemo parentum ad extrema confugiet, niſi qui omnia remedia conſumpſit. Recte alibi Comicus, pro peccato magno, paulum ſupplicii ſatis eſt patri. Porro & illud legibus cautũ fuit, ut is qui mulierem liberam violaſſet, virilibus privaretur. Mulier in adulterio deprehenſa naſo mutilabatur. Illud inſtitutum omnem fidem excedere videtur, quod furta permiſerunt, modo fures apud præſidem ſacerdotum nomen ſuum profiterẽtur, atque furta e-veſtigio ad eundem deferrent. Ut igitur induſtria eius, cui bona

erepta erant, acueretur, quarta parte mulctabatur, atque ea furi concedebatur. Non multum itaque dominus amittebat, & propriæ ſocordiæ atque negligentiæ illud imputare poterat. Neque ita furta admodum erant frequentia. Pauci enim inter fures nomen ſuum profitebantur, qui ullo honeſti candore imbuti erant. Lege itaque Ægyptiorum oblique magis vetabatur quam permittebatur furti turpitudo. Fœneratorum quoque avaritiæ obiectum fuit repagulum. prohibitum enim fuit ultra contracti mutui duplum exigi. Neque propter debita corpora creditoribus addicebantur. Indecorum habitum meliorem portionem terræ libertati hominum imperare. Et quid turpius illis ſanguiſugis, quorum vita ita comparata eſt, ut Horatianum illud applicari illis poſſit. Non miſſura cutem niſi

plena

plena cruoris hirudo. atque ita privatorum vitam exhauriunt publicæ pauperum charybdes. Porro cum magna ſit in utramq; partem educationis vis, parce & frugaliter liberos inſtituebant, in id intẽti, ut patrię filius eſſet idoneus civis, utilis & bellorum & pacis rebus agendis. Itaque iis artibus erudiebant, quibus traducebantur hominum mores ad civilem vitam, moderationem atque modeſtiam. Enimvero literarum cultu horridi ac feri mortalium mores miteſcunt, contra ubi adminiculo illo Reſp. caret, triſtis fere eſt rerum humanarũ facies, atq; incultũ quendam horrorem cuncta referunt. Præter res ſacras præcipue Geometriæ, & Arithmeticæ aſtronomiæq; incumbebant. Geometriæ invẽtio Ægyptiis tribui ſolet ex neceſſitate: cum enim Nilus turbulentus fluat, atque limo Ægy-

ptum obducat, terminos agrorum confundat, immutet rerum facies, ſigna obruat, quibus proprium diſcernebatur ab alieno, dimetiri terrarum ſpatia oportuit, ut Strabo lib. 17. commemorat. Medicorum illum uſum habuiſſe Iſocrates commemorat, ut non iis medicamentis uterentur, quæ corpus turbarent, ſed quæ æque tuto ſumi poſſent atque cibi quotidiani, idemque ſaluberrimis eos fuiſſe corporibus, atque vitam ad extremam ſenectutem produxiſſe tradidit. Ita optimis artibus Remp. ſuam fulſerunt. Quîs acceſſit Regum in ſtudia amor, & ſumma liberalitas. Inter vetera urbis Alexandrinæ ornaméta museûm inclytum fuit, in quo ſeptuaginta millia librorum, quos ex omni parte terrarum, ubi litteratæ humanitatis ulla erant veſtigia, ſibi comparaverat magnis impenſis Regia libe-

liberalitas , cui bibliothecæ Demetrium Phalereum Athenienſem præfuiſſe Diogenes Laertius ſcriptum reliquit. Eidem locupletandæ Ptolomæus Philadelphus ab Eleazaro Pontifice impetravit, ut arcana veteris inſtrumenti in linguam græcam à ſeptuaginta interpretibus transferrentur, atque id non multis ſane diebus præſtitum eſt. Deo nimirum immortali placuerat, non amplius ſacratiſſima inſtituta linguę Hebraicæ ſepto includi, ſed profanarum quoque gentium oculis ſubjici. Ultimo ſciendum, Ægyptum primo ab indigenis regibus, qui ſua lingua Pharaones appellantur, gubernatam fuiſſe, donec tandem ad Æthiopes imperii ſumma pervenit, eo quidem tempore, cum Ezechias Rex apud Iudęos imperii potiretur: dein Cyrus Perſa, cum Aſſyriorum Medorumque opes ſimul

&regna ad ſe traxiſſet, rerum potitus, devicto Seſoſtre ſuperbiſſimo Ægyptiorum Rege: verum ſub Dario Notho iugo excuſſo propriis iterum regibus gubernata fuit: donec Alexander Magnus, cuius virtus an Fortuna maior fuerit dubium eſt, imperium arripuit, atque poſt eius obitum Ptolomæo Lagi filio præcipuo Ducum Alexandri ceſſit, à quo poſteriores reges Ptolemæi dicti, atque circiter ducentos atque nonaginta quinque annos Ægypti regnum obtinuerunt uſque ad Cleopatram: quæ admotis ad venas ſerpentibus ſibi violentas manus intulit, & morte quaſi ſomno ſoluta eſt, à quo tẽpore Romani rerum domini, ampliſſimum poſtmodum regnum in provinciæ formam redegerũt. Cum autem munitiſſima hæc eſſet provincia, difficiliſque natura loci acceſſus eſſet, Cæſar quidem

dictator, extincto Pompeio, regnum Cleopatræ eiuſdem fratri minori conceſſerat, veritus, ut inquit Suetonius, provinciam facere, ne quando violentiorem præſidem nacta, novarum rerum materia eſſet. Poſtquam autem in Provinciæ formam redacta eſt, Auguſtus equeſtris ordinis viris commiſit, ne potentia ſua abuterentur, ut Corn. Tacitus auctor eſt. Atque is appellatus fuit Præfectus Auguſtalis. Cum autem Alexandria urbs nobiliſſima Ægypti, portuum opportunitate atque opibus nulli ſecunda eſſet, Præfectus ſpecialis ab Auguſto conceſſus eſt, penes quem eſſet ordinarius magiſtratus. Quem juridicũ Latini, Græci δικαιοδότην appellarunt. Neque enim, ut Arrianus prodidit, præfecto Auguſtali qui toti præerat Ægypto, tam munitum regnum & in quo opes Romanorum conſiſterent,

committere auſus fuit prudentiſſimus Imperator. Præfecto igitur Auguſtali tanquam ſpeculatorem adiecit iuridicum, ne quid rerum novarum moliretur, atque frenum injiciendum tantæ poteſtati atque imperio cenſuit. Ad extremum cum collabaſcerent vires imperii Romani, luxatiſque viribus nervi rũperẽtur, ſub Heraclio Imperatore à Saracenis Ægyptus occupata eſt: nunc cũ cæteris nobiliſſimis quondã regionibus, qua ſol oriens lumẽ ſuum expandit, Turcarum ſervituti obnoxia eſt. Urbes in illa regione plurimas & maximas fuiſſe veteres teſtantur, quarum præſtantiſſimæ quæque vel cum ruinis ſuis colluctantur, vel multum de veteri ſplendore amiſere. Nam & antiquiſſimis temporibus Æthiopica Syriacaque bella multum eos attriverunt, pars Romanorum ſenſit violentiam. Acceſsit

quod ex diverſa & contrariâ ſuperſtitione incolæ Ægypti inter ſe ſæpe committerentur. Ideoque ſtabiliendo imperio Regē quendam callidum & verſutum à ſe invicem diviſiſſe diverſo animalium cultu, ut continuis diſcordiarum incendiis agitarentur, Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride commemorat. Unaquæque enim regio ſua venerabatur animalia. Lycopolitæ contra cæterarum inſtitutū ovem mactabant, comedebant. Cynopolytæ canem coluere, qui cum oxyrinchum piſcem devoraſſent, ulciſcendæ iniurię Oxyrinchitę canes mactarunt, ciboque illo viſcera impleverunt. Hinc continuæ inter illas gentes diſcordię alebātur, tanta quidem ferocia, ut non ſufficeret illorum iræ aliquem occidiſſe, ſed in plurima fruſta diviſum corroſis oſſibus victrix turba devoraret. Luculenter ſatyra

xv. Iu-

xv. Iuvenalis totum hoc depinxit. Audi Poëtam:

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus,
Ardet adhuc Ombos, & Tentyra: ſummus utrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos quos ipſe colit.

Ioſephus itidem gravis auctor lib. 2. contra Apionem idem teſtatur. Ita multæ præclaræ urbes attritæ: quis acceſſere vindices diſſidiorũ Romani; qui pœnis meritis eoſdem afflixerunt. Auguſti primum ætate nobiles illas Ægyptiacas Thebas dirutas Euſebius commemorat. Copton & Buſirin Achillæo quondam rebellionis autore Diocletianus ſolo æquavit: cui factioni cum & Iudæi re-

rum

rum novarũ cupidi ſe immiſcuiſſent, extrema queq; perpeſſiſunt. Incurſionibus dein Saracenorum diruta, vaſtata Ægyptus vix antiquam ſpeciem refert. Ita nimirum Deo placitum, ut quidam rerum mortalium fatalis orbis ſit. Regna oriuntur & intereunt. Eſt imperiorum quædam infantia, adoleſcentia, iuventa, & robuſta maturitas, ſenectus denique & interitus. Videbatur tam munitum regnum facile ab hoſtium violentia ſe potuiſſe defendere, cum Nilo immortali muro, ut loquitur Iſocrates, cingeretur, cum montium præruptis atque arenarum impenetrabili difficultate tutum eſſe videretur, ex altera parte importuoſa pelagi rabies æſtuaret. Sed Deo Opt. Max. ſæpe placuit contra leges naturæ ire, atque oſtendere, quam ſtulta ſint & inania hominum vota, qui viribus & potentia freti divinam poten-

potentiam vel eludunt vel contemnunt. Non ego hic imperiorum periodos & mutationes temporum longis ambagibus enumerabo. Teſtãtur hoc omnium temporum annales, faſti turgent, & nobis tacentibus loquuntur.

CAP. V.

De Rep. Carthaginienſium.

CArthago nobiliſſima & potẽtiſſima civitas Romani imperii æmula Phœnicibus originem debet. Dido enim, quæ & Eliſa dicitur, dum Pygmalionis fratris Tyriorum regis tyrannidem fugit, qui Sichæi mariti nece aras commaculaverat, erepto regio theſauro navibus aufugit, fundamenta novæ urbi locavit, quæ portus opportunitate paulatim ita crevit, ut poſtea Roma & Carthago paribus utraque vocis viribuſque imperium terrarum

rum orbis agitaret. Prope mare autem conditam recte & prudenter arbitror. Quæſitum quidem à Politicis eſt, utrum conducat Reip. necne. Nonnulli nocere bene conſtitutæ civitati exiſtimarunt. Peregrinos enim, quorum commercii cauſa in maritimis civitatibus maxima ſolet eſſe frequentia, novis moribus patrias leges evertere, luxus fomenta inducere. Verumtamen cum illa emendari vitarique quodammodo poſſint, recte judicavit Philoſophorum Princeps, ea incommoda, ſi quæ ſint, ſumma utilitate compenſari. Nam dum commerciis & navigationibus cæterarum regionum opes, ad ſe trahit, dum neceſſaria undique ſuppeditantur, dum mare, quod olim de Tago dictum eſt, aureas eructat arenas, facile hoſtium potentia eliditur. Accedit, quod ipſa quoque ferocientis maris aura ut

ra ut plurimum acrius homines animare ſoleat. Quin & hoc egregie quoque ab Ariſt. demonſtratum, in nautis claſsiariiſque maximum robur & monumentum civitatis ſitum, quos labores continui indurarunt, qui periculorum ſecuri, cum procellis ſe quotidie objiciunt, iratos fluctuum vortices contemnunt, cætera quoque pericula negligunt, & vitam pro patria effundere prompti evadunt. Neque opus eſt externo teſte. Quantum nauticæ pubis virtus in hac noſtra regione ad prima libertatis erigenda vexilla contra potentiſsimum hoſtem valuerit, Annales noſtri paſsim loquuntur. Plurimæ itaque urbes, quæ mari alluuntur, ſubito ad maximam pervenere potentiam. Contra terreſtres urbes paulatim conſenuere. Nam & ipſa illa gentium domina, illa æternitatis ſedes

Roma

Roma prudenter admodum in ipſo maris fluminiſque confinio coloniam ſuam Oſtiam ſub Anco Martio poſuit. De qua egregie & diſerte Florus: iam tum videlicet præſagiens animo, futurum, ut totius mundi opes & commeatus illo veluti maritimo urbis hoſpitio reciperentur. Bene itaque prope mare Carthaginem conditam conſtat: Quam incredibilis vicinæ regionis fertilitas, clementiſſimumque cœlum identidem beabat. Hinc autem mari, inde lacu cincta Iſthmo Africæ coniungebatur. Quibus anguſtiis colles natura obiecerat, cæteras vias munimentis induſtria humana circumvallaverat. Et videbatur invicta, niſi fatale fuiſſet à Scipione deleri. Qui tantæ urbis ruinæ ipſe illachrymaſſe dicitur, ſicut à Polybio, qui ipſe adfuit, memoriæ traditum eſt. Porro in Carthaginienſi

Rep. nonnulla non multum à Laconum inſtitutis abeunt. Sicut enim apud Lacedæmonios duo reges conſtituti, ita Carthagine duo ſuffetes, quod orientalium lingua duos præfectos iudiceſque denotat. Ita in Rep. Hebræorum ſofetim appellantur, id eſt, iudices, penes quos ſuprema erat poteſtas. Lacedæmone quidem perpetuus hic fuit Magiſtratus, Carthagine annuus. Quare diſertiſſimus hiſtoricus Livius cum conſulari poteſtate eum compoſuit. Itaque veluti emendaſſe Laconũ Remp. Carthaginienſes videntur. Nam ſucceſſio hæreditaria multum ſæpe malorum ibi peperit, dum ſanguini nullus virtuti locus relinquebatur. Hic vero optimorum civium publica æmulatio fuit, dum quotannis honores ſummi paterent. Præmia virtutes excitant, propoſituſque honos generoſos ſpiritus ad bene agen-

agendum ſtimulat, imo cogit. Ne autem obſcuri infimiq; ad illum honorem promoverentur, publice proviſum fuit. Quicunque enim ab exili loco ſubito potẽtes evadunt, inſoleſcunt, neque Fortunam ut plurimũ reverenter habẽt. Politica igitur hic velitatio incidit, an ſucceſſio electioni præferenda, dein quid plus conducat Reip. annuus an perpetuus magiſtratus. Antiquiſſima utique electio, & cooptandi iudicium integrum. Naſci enim ex Principibus fortuitum eſt, optimum quemque electio invenire ſolet. Quinet Philoſophorũ Princeps barbaros eos appellavit, qui ſanguini & ſucceſsioni annexum habent imperium: & continuam familiæ unius dominationem tyrannis plerumque ſequitur. Minus itidem ſervilis electio, & ut Tacitus alibi loquitur, libertatis loco erit, ſi eligi incipi-

mus. Sed tamē ſucceſſio ſua quoque commoda habet. Nam & illud verum, quod Politicorum primus dixit, minore diſcrimine ſumi Principem quam quæri. Cuncti fere mortales ambitione turgida pectora geſtamus, atque is affectus longe aliis flagrantior eſſe ſolet. Hinc tumultus, ſeditionis incendia, res novæ etiam florentiſſimas concutere ſolēt Reſp. Adempta ſpe imperii per ſucceſſionem, dum hæres in omnium oculis verſatur, etiam ambitioſa ingenia quieſcunt. Hæc incommoda fere tolluntur, ſi ſucceſſio cum electione temperetur. Quando nimirum ſibi populus liberam integramque conſervat electionem, neque tamen ab illuſtri familia votis recedat, niſi præſens urgeat neceſſitas, vel paterni ſanguinis hæres imperandi faſtigio æqualis non ſit, vel profligatiſſimæ vitæ crimina ab imperiali ſplen-

ſplendore eum iure deiiciant. Ita Principesplenis paſſibus ad virtutē ibunt, vel ſaltē ſimulabunt. Sed hæc fere locum habent ubi ſupremus magiſtratus perpetuus. Ad elidendam autem maiorem potentiā Sufferes Carthagine annui fuere. Ita omnibus honorum porta patuit, quos vera virtus accendebat. Neque pauci perpetua poteſtate abutebantur, alii autem atque alii honoribus aucti magis Reip. devinciebantur. Ne autem rerum gerendarum occaſio mutatione hâc magiſtratuum abiret, Senatus, qui pepetuus fuit, conſtitutus eſt. Et revera ubi maxima penes paucos poteſtas, utile eſt eam mutari: Ne autem ſemper fluctuet Reſp. perpetuus magiſtratus, qui ex multitudine iuſtâ conſiſtit, multum quoque momenti affert. Illud vero in hâc Rep. abſurdum, quod divitiis & cenſu metirentur ho-

 nores

nores. Dum enim omnes, quos honorum ſpes lactat, divitiis inhiant, peſſimo quoque avaritiæ veneno Remp. inficiunt. Quæ rubigo ubi ſemel civitatem contaminavit, paulatim morum innocentiam evertit, atque acrius quam ulla impetigo vel ſcabies animos mortalium exedit. Denique & publica munerum licitatio indignos paſſim ad ſummos honorum apices detrudit. Quin & ipſa regia poteſtas divitiis patebat. Hinc mutuæ corruptiones infeſtabant civitatem, dum magiſtratuum publici emptores, iterum ſumptus, quos fecerunt, reſarcire, & priora damna per fas & nefas reparare conabantur. Equidem ubi maxima opum, nulla virtutis ratio habetur, non poteſt diu inconcuſſa ſtare Reſp. Sed dicat quis, pauperes, dum curis domeſticis fatigantur, & gravi inopiæ onere premuntur, impares

eſſe

eſſe regundæ Reip. Quidni vero eadem Reſp. victus honeſtæ vitæ neceſſarios facile ſuppeditare poteſt? Atqui Peculatus crimen ab iiſdem metuendum. Non veriſimile, virum honeſtum, ſi quotidiana ſuppetant, facile ad eas artes devolutū iri, niſi ipſa paupertas crimini habeatur. Neq; vero paupertatem ſemper avaritia ſequitur, ſed ut plurimum ipſas divitias. Nam & prodigalitas, quæ divitum perpetua comes, ex avaritia alimentum capit. Recte Iuvenalis, creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit, & minus hanc optat qui non habet. Præterea imprudenter quoque Carthaginienſes diverſa plurimaque munera & honores eidem commiſerunt. Sicuti enim vaſtus torrens difficile ſuis terminis concluditur, & metuendum ne violentia fluctuum totam admodum regionem obruat, rivi autem

tem facillime ſuis alveis continentur, ita quoque illi, quorum auctoritas in immenſum creſcit, tandem cuncta ad ſe trahunt, omnemque ſibi contrariam poteſtatem proſternunt. Contra dum ſinguli honores ſingulis committuntur, exiguo imperii limite coërcentur, melius momẽta cauſarum & occaſionum ponderantur. Porro ut de dignitate præturæ iudicumque nihil dicam, recte obſervavit Polybius, Remp. Carthaginienſem ex regio ſtatu, optimatum & populi temperatam fuiſſe. Ita prudenter admodum cordatus populus ea quæ noxia in ſingulis ſtatibus ſeparavit, utilia elegit. Regia maieſtas facile tyrannidem aſſumit. Optimatium ſplendor in Oligarchiam ſæpe labitur, populus autem inſtar maris indomiti cæco impetu huc atque illuc impellitur. Præterea Imperatores militię electi plenam

regiaque ſimilem poteſtatem habuere. Cuncta illius arbitrio fiebant, prælia committere, inducias paciſci, quicquid martis incerta alea poſtulabat, conficere. Atque ea quidem ſumma poteſtas nonnunquam per aliquot annos eidem concedebatur. Amilcarem Annibalis patrem per novem annos ita imperaſſe veterum hiſtoriæ teſtantur. Et revera prudentiæ imperatoris hoc committendum, ut ipſe ſibi legem imperandi ponat. Multa in bello repente incidunt, quæ iuſſu populi coarctari nequeunt, ſed iudicio ſummi imperatoris relinquenda ſunt. Revocandi tamen ſumma autoritas ſemper penes civitatem ſtetit. Quod ex Annibale apparet. Qui cum Alpes horrendoſq; nivium cumulos perfregiſſet, cum Padus, Trebia, Thraſymenus, ultimo & ignobiles Cannæ Romanorum clade infames eſſent, ſed

averſi mox à Carthagine Dii priſtinã paulatim fortunam Romanis gẽtium dominis reſtituerent, quinet duce Scipione tota belli moles in Africam converteretur, & mirabile dictu, dum ipſis viſceribus Italiæ Pœnus inhæreret, Carthaginis portæ concuterẽtur, tandem Annibal domum revocatus eſt ad graviſſimum bellum conficiendum: mandatum civitatis pro lege habitum. Ipſe autem Imperator, ut à Livio proditum eſt, frendens gemenſque vix lachrymas tenuit, cum iubente Civitate Italiam relinquere & in Africam traiicere cogeretur. Porro ſicuti terreſtris militię, ita inſitũ maxime rerum maritimarum ſtudium iis fuit. Hinc antiquus autor de Pœnis, quorum pręcipui Carthaginienſes: Tyro oriundi Pœni adeo potentes maris fuerũt, ut omnibus mortalibus navigatio eſſet periculoſa. Et Appianus

eoſdem

eoſdem maris dominos dixit. Et revera, ſi ad pleraſque veterum Reſpublicas animum quis convertat, quæcunque mari valuere, illarū potentia ſubito aucta, invidiam cæteris gentibus extorſit. Ita Athenienſes, Lacones, Rhodii, Cyprii, Phœnices fœlicitatis quodam ubere, divitiarum immenſo gurgite veluti æſtuarunt. Neque noſtræ res tantæ eſſent, niſi in totū veluti terrarum orbē vela Batavi dimitteremus, niſi per immenſa marium ſpatia navibus noſtris utrunque ſolem fatigaremus, niſi ſalo & aquis innutriti, veluti Neptuni indigenæ vota noſtra cum terminis mundi iungeremus, & iam veluti totius orbis cives facti eſſemus. Porro tradidit Plutarchus, populū Carthaginienſem, natura ſubdolum, magiſtratus obſequio promptū, decretorum tenacem fuiſſe. Et hoc recte obſervatū, quod pœnarum crimi-

criminumque graviſſimi eſſent exactores. Præcipue Principum vitia, quæ omnium oculis patent, acerrime punita. Nam ab iis malum exemplum metuebatur. Infimi proletariiq; ordinis homines uti famam obſcuram habent, ita magis latent, ſilentiique velo involvuntur illorum ſcelera. Principum vitia acutius aquilinis oculis ſubditi perſcrutantur. Eademque inſita vulgo calumniandi prurigine vel etiam ſuſpicionibus, ut plurimum in maius augẽtur. Tanta autem ſeveritas iudiciorum adhibebatur, ut in quibuſdam criminibus ne quidem agnatis parceretur. Quæ uti ſuo iure defendi poteſt, ita crudelitas mactandorum hominum, imo ipſorum filiorum, placandis diis ſuis, omnibus mortalibus iuſtum horrorem incutit. Ita refert Lactãtius nitidus ſcriptor, Carthaginiẽſes Saturno humanas hoſtias

ſolitos

ſolitos immolare, & cum victi eſſent ab Agathocle Rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe, itaque ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobiliũ filios morte multaſſe. Quem horrendum morem à Syris in Africam & Europam profluxiſſe ex veterum monumentis conſtat. Sicuti Ammonitæ Molocho ſuos liberos devovebant. Dum hæc peragebantur, tibiarum tympanorumque clangor undique perſonabant. Lachrymas enim puerorum atque eiulatus exaudiri piaculum habebatur. Sed hæc veteri ſuperſtitioni, eique nefandæ, cuius tenaciſſimi eſſe mortales ſolent, tribuenda. In cæteris, optimis inſtitutis & legibus ſemper hæc Reſp. floruit. Donec immenſæ Romanorum avaritiæ, illorum potentia cederet. Quanta autem fuerit, ex tribus bellis Punicis ſatis ſuperque conſtat. Etſi enim

primo

primo bello fractæ navali prælio vires, atque tota fere Punica opulentia laceratis ratibus mari fluitaret, atque in aquis deleta eſſet Carthago, ſubito tamen vires reparavit, neque ablata potentia maris, direptæque opes immenſæ, populum potentem in officio tenuerunt. Sed Hannibal fortiſſimus illorum Imperator tanto impetu Italiam invaſit, ut fabuloſa antiquitas eum Alpes aceto perrupiſſe prodiderit, & quatuor nobiliſſimis præliis Romanam potentiam & gloriam contrivit. Quorum ultimo Cannenſi prælio tanta Romanorum ſtrages fuit, ut fluvii diu ſanguine decolores fluerent, & de cadaveribus pons conſtrueretur. Et profecto ſi ſciviſſet Hannibal victoria uti, neque in Campaniam, quæ mores militis enervavit, ſeceſſiſſet, actum fuiſſet de Rep. Rom. Sed inconcuſſa

urbis

urbis Romæ fata reſtiterunt. Videturque Fortuna experiri voluiſſe, an digni Romani quibus totus terrarum orbis obtemperaret. Mutatæ enim belli vices primo Haſdrubalem, qui fratri ſuppetias ferebat, ad internecionem redegere. Quin tanta ſurrexit maieſtas & fortitudo Principis populi, ut dum Italiæ viſceribus Annibal incubabat, ſui ſecura, mirabile dictu, in Africã bellum traiecerit, & Carthaginis mœnibus immineret, Italiæ Annibalem extorſerit, cruẽtoq; prçlio eundẽ devicerit. Neque tamen dein interiecto ſpatio ſpiritus iterum Carthagini defuere. Sed rebellionis ſuæ pœnas paſſa. Obſeſſa terra marique munitiſſima urbe, portuque nudato, etſi magno molimine cives reſiſterent, tandem tamen devicta eſt. In ſenatu diu agitatum an delenda eſſet, an ſervanda. Placuit ſententia, æmu-
lam

lam imperii diruendam potius eſſe. A quo tempore omni metu ſublato luxuriari fœlicitas urbis Romanæ cœpit, & mores in peius ire. Everſa Carthagine, dum omnis formido mentibus deceſſit, victa Roma. Ita victor victus eſt, & victus ſpeciem quandam victoriæ habuit.

CAP. VI.

De Rep. Athenienſium.

NObiliſſima celeberrimaque Athenienſium Reſp., ſapientiæ illud civilis Prytaneum, eruditionis Oceanus, omniumque ſcientiarum vaſta vorago, originem ſuam Ægyptiis debet, & Cecropem autorem habet. Prima poteſtas penes reges fuit, ſed limitibus ſuis clauſa. Neque enim imperium libidini regis ſerviebat, ſed populo obnoxium fuit. Nam ex vetuſtiſſimis iudiciis

ciis etiam regum cauſas, à Populo diremptas apparet. Quod utique ſummæ poteſtatis inſigne fuit. Cæteras quippe omnes Græciæ regiones, quam latè patent, Athenienſium populus & animi magnitudine, & immenſa gloriæ cupiditate, & libertatis æſtu ſemper quam longiſſimo intervallo ſuperavit. Ita tandem vertentibus annis penes ſolum populum omnis conſtitit autoritas. Hâctenus tamen regia autoritas apud omnes in ſummo precio atque honore fuerat. Quam multum Theſeus Athenarum rex decimus imminuit: primus enim diſperſos per Atticæ regionis vicos ad novam Athenarum urbem, quæ incolis deſtituta, libertatis præmio allexit. Ita circumfuſa plebs ex agricolis opificumque grege mirum in modum civitatem auxit. Cui & ius creandorum magiſtra-

tuum conceſſiſſe, ex Iſocrate, Pauſania, Plutarcho colligi poſſe videtur. Electio enim magiſtratuum trium generum fuit: per ſortem illi qui iudiciis præerant electi: populare ſuffragium tribunos militum, imperatores militiæ evehebat. Choragi qui ludis ſacris ſacrificiiſque omnibus præerant, opum potentia creabantur. Ita maxima æqualitas in Rep. conſtituta eſt. Per ſortem etiam indigniſſimi præſtantibus viris æquabantur. Ne autem ſoli illi, quos indignos eſſe conſtabat, ad iudicandum admitterentur, propter multitudinem iudicum, qui numero quingenti erant, fieri non poterat. Ex tanta enim copia, nonnullos iudicio prudentiaque civili, virtute deniq; pręſtãtes eſſe neceſſe fuit. Penes quos tota iudiciorum conſiſtebat autoritas: cæteri eo contenti, quod non neglecti viderentur.

ren-

rentur. Utique hoc inter Politicos conſtat, à paucis atque præſtantibus melius gubernari Remp. modo cæteri non contempti videantur, atque imaginem ſuffragii habeant, quam ſi omnium virtus iudiciumque æquale eſſet. Non ſemel diſcordiarum ſegetem æmulatio virtutis accendit. Difficile cedit, qui ſe parem exiſtimat, ſed potius ex invidia optimis ſæpe aliorum conſiliis reſiſtit. Ne autem populus paulatim conculcaretur à potentioribus, repagulum maximum fuit quod ipſe militiæ ſupremus imperator ex illorum voto eligeretur. In cuius poteſtate præſidia militiæ ſunt, facile etiam ſuperiorem ſpernit. Nimia tamen hæc populi potentia in effrenem licentiam erupit. Non ſecus enim atque ignis ubi tabulatis adhæſit, maximo poſtea furore etiam ipſa tecta præci-

pitat, nihil denique ſibi intactum relinquit, ita vaga populi libertas nullo rationis vinculo conſtringitur, ſed legitimam omnem poteſtatem proſternit & ſibi ſumit. Quin & illud Athenienſium inſtitutum fuit, quod illi, quorum divitiæ conſpicuæ erant, ſacrificiis præeſſent. Ita illi quoque, quorũ omne decus & gloria non in virtute ſed in opum fulgore conſiſtebat, etiam ſua dignitate non privabantur. Neque à ſacrificiis Deorumque immortalium cultu magnum Reip. periculum imminebat. Hunc in modum ſingulos cives æqualitas fovebat, æqualitatem concordia, concordiam Reip. ſalus ſequebatur. Sed paulatim, ut dixi, cuncta populus ad ſe traxit. Abolita enim regia poteſtate, perpetui primo Archontes, dein decennales, hinc & annui numero novem conſtituti ſunt.

Nullæ

Nullæ antea leges ſcriptæ erant, ſed arbitrium magiſtratus, inter quos ſanctiſſimi Areopagitæ, ut mox videbimus, pro lege obſervabatur. Cum itaque iura paucorum libidini eſſent obnoxia, leges primo ſeveriſſime à Dracone, dein à Solone ſapientum uno latæ ſunt. Draco quidem propter nimiam aſperitatem ſanguine leges conſcripſiſſe dicitur. Verum Solon ſummus legiſlator maxima æquitate iura Athenienſibus dictavit. Uti autem popularem favorem ſibi acquireret, de æris alieni remiſſione, quam σεισάχθειαν græce appellant, legem conſtituit. Nimia enim fœneratorum licentia plebem conculcabat, & tam bona, quam etiam, quod ultimum eſſe miſeris mortalibus ſolet, ipſa corpora in ſervitutem debiti loco compingebantur. Paupertas à viro cordato utcunque

tolerari poteſt, ſed ii, quorum pectora generoſus ſpiritus inflavit, facilius vitam quam libertatem amittunt. Vidit hoc prudentiſſimus Solon, atque auræ populari velificatus eſt, primuſque ſeptẽ talenta, quę ſibi iure patrimonii debebantur, remiſit, corporumque deditionem in totum prohibuit. Indignum hoc majeſtate & gravitate Athenienſium fuit, ob inopiam in ſervitutem redigi illorum corpora, quorum excelſus divinuſque animus vix intra ipſum corporis carcerem ſe continebat. Deinde ex illo metuendum erat, ne opulentiorum potentia paulatim frangeret opprimeretque populum univerſum. Itaque opulentiſſimi ſumptus trierarchicos exhibere cogebantur, ut autor eſt Demoſthenes aliique. Quippe difficile ii, quorum inopia ad æris alieni neceſsitatem redacta

eſt,

eſt, iterum emergunt, ſed quotidie magis magiſque uſque ad deſperationem ultimam debitis veluti ſuffocantur. Ea lex multum autoritatis legiſlatori exhibuit ad cæteras leges ſanciendas, conſtituendamque ipſam Remp. Enimvero ipſa multitudo facile obtemperabat, potentiores autem ipſa æquitas naturalis in officio continebat. Deinde ut nobilitatem quoque ſibi addictam haberet, lege cautum, id totum arbitrio ſenatus relinqui, an negocia ſibi delata populo referre an ſupprimere vellet. Ipſa denique plebs à magiſtratibus annuis arcebatur. Quamvis poſteà ad illud ius promota, ſicuti ab Ariſtotele & Plutarcho graviſſimis autoribus proditum eſt. Porro antiquiſſimum ſanctiſſimumque Areopagitarum collegium fuit: quod à Solone quidem inſtitutum Cicero aſſeruit, ſed anti-

quius fuiſſe & in meliorem ordinem redactum à Solone Ariſtoteles maximus Rerump. indagator in Politicis ſuis aſſeruit. Ex Novemvirûm collegio ſanctiſſimi quique omniſque expertes ſuſpicionis in hunc ſenatum eligebantur. Illi in id omnes nervos intendebant, ne quid detrimenti Reſp. caperet, mores maiorum avitique ritus conſervarentur, homicidia conſulto patrata vindicarentur, in mores civium ſuorum animadverteretur. Publicum itaque virtutis ſeminarium, ſceleratorum flagellum certiſſimum, bonorum tutiſsimum refugium fuiſſe, Iſocrates inaffectatæ eloquentiæ autor nobis tradidit. Tanta eiuſdem ſenatus gravitas, ut in caupona ſediſſe ſatis grave crimen fuerit, ut collegio illo quis excluderetur. Quintilianus itidem tradidit, puerum condemnatum ab Areo-

pagi-

pagitis, quod coturnicibus oculos eruiſſet. Perverſæ enim atque crudelis indolis ſignum hoc exiſtimarunt religioſiſsimi iudices. Hunc magiſtratum perpetuum fuiſſe ex antiquis conſtat. Uti enim præſtantiſsimi quique, quorum dignitas, ſanctimonia, incorruptum iudicium omnium oculis patebant, ad hoc munus eligebantur, ita conducebat Reip. talem magiſtratum perpetuum eſſe. cuius tamen autoritas à populo dependebat, multum itidem Principis ſenatus vim quingentumviri eludebant. Illi autem de ſumma Reip. ut plurimum definiebant, Areopagitæ publici erant inſpectores, & malis conſiliis ſe interponebant. Profecto illud exploratum eſt, quo maior eſt poteſtas, eo periculoſius magiſtratum perpetuum eſſe. Maxima quidem Areopagitarum ſanctimonia atque autoritas fuit,

non itidem poteſtas. Perpetuum itaque eorum erat munus. Annui erant magiſtratus quingenti, ne continuum illorum imperium in Oligarchiam abiret. His præficiebantur Prytanes, atque eorum princeps Epiſtates, cui annulus omnis ſecreti commiſſus erat, & ſenatui cuncta per eum proponebantur. Illum autem propter ſummam potentiam unius diei magiſtratum habuiſſe veteribus proditum eſt. Neque bis Epiſtatem eſſe licitum fuit. Quingentis nulla aut admodum exigua honorum ſolvebantur præmia. Virtus ſibi præmium cēſebatur optimum, atque omnia in ſe bona continere. Nulliuſque adeo rei niſi gloriæ avari erant. Unde oleaginæ coronæ merces omnibus muneribus proponebatur. Sed hæc florente Rep. contigere. Labentem ventoſa ambitio, ærugo pecuniæ peſſumdedere. Et,

ſi

ſi vera velimus fateri, nimia eos fortunæ proſperitas perdidit Ego certe ut in Athenienſium Rep. ita in aliis pleriſque nimiam fœlicitatem interitui occaſionem dediſſe video. Sicuti enim etiam optimus ſanguis in mortalium corporibus, ſi nimius ſit, putredinem magnaſque febres alit, ita nimis ſecunda fortunæ faventis aura vitiorum veluti exercitum ſecum adducit. Tam inania ſunt mortalium vota, ut illud ipſum quod appetũt, ſępe exitii iis cauſa ſit. Porro videbat ſapientiſſimus Athenienſium populus non facile figendas eſſe refigendaſq; leges. Nã ipſæ leges pernicioſæ, ſi altius perditorum animis inhæſerint: utilius eſt tolerare, quam evertere. Ne autem leges oblivioni traderentur, vel etiam ut perſpicerent, an mutatio quædam neceſſaria eſſet, conſtitutum eſt, ut ſingulis annis omnes leges populo

pulo prælegerentur, atque de iis conſilium inſtituerent. Delecti in eam rem Nomothetæ, qui tabulis publice affigebant, ſi lex abroganda, mutanda, vel nova ferenda eſſet. Nomine populi ſyndici ſive oratores, quorum integritas, iudicium, facundia explorata, ea de re magno molimine atque contentione agebant. Hinc tanta olim oratorum apud Athenienſes auctoritas, quia veluti voce populi loquebantur. Ita facile quid utile nec ne Reip. eſſet conſultabatur. Nam recte alibi Ariſtot. in Politicis dixit, coniunctam multitudinem ſapere, ſeparatam non item. Conſtat ex veterum monumentis, obſervantiſſimos ſemper legum ſuarum Athenienſes fuiſſe. In quam rem Nomophylaces, id eſt, legum cuſtodes, prudenter conſtitutos fuiſſe Cicero in lib. de LL. tradidit. Quorum officium erat proſpice-

ſpicere, ne quid adverſus leges rituſve maiorum fieret, eos qui iis non obtemperabant pœna multare. Tanta legum obſervantia in cauſa fuit, quod cum Reſp. Athenienſium admodum tandem popularis facta eſſet, tamdiu inconcuſſa ſteterit, ut recte à Thucydide monitum eſt. Alioquin mere popularis ſtatus turbidus, inquietus eſſe ſolet, & non ſecus atque mare huc atque illuc agitari. Novo autem & admirando modo nonnunquam Athenienſes viros præſtantiſſimos, quorum virtus & gloria in excelſo poſita erat, urbe eiiciebant, ne illorum potentia atque autoritas libertati populi noceret. Oſtraciſmum illam ſpeciem exilii veteres vocarunt, quod populus teſtæ ſuffragium ſuum inſcriberet. Neque vero illa ratio puniendi admittebatur, niſi ſex mille concionem ad minimum conſtituerent, & qui

qui ſuffragium ferrent ſexaginta annos haberent: ne nimirum temerarium iudicium inſtitueretur. Ita Ariſtides, qui iuſti cognomen habuit, ita Themiſtocles urbe eiecti. Exilium hoc decennale erat, neque ulla infamiæ nota eo inurebatur. Quippe ſine ulla cauſa propter eminentem virtutem, ut plurimum hæc relegatio infligebatur. Nimirum politice prudenterque admodum exiſtimarunt, omnem plerumque eximiam potentiam libertati noxiam, atque exactiſſima quæque ingenia ut plurimum res novas moliri. Sicuti enim hederæ ſequaces primo quidem virgultis ſuis parietes ædificiaque lambunt, paulatimque ſuprema tectorum petunt atque inveſtiunt, tandem vero etiam laſciva folia ipſo cœlo viam affectant, ita generoſiſſimi maximique ſpiritus paulatim ut plurimum ad poten-

tiam

tiam ſibi viam ſternunt, donec tandem viribus ſuffulti eo aſcendant, ut nullus amplius gradus honorum ſuperſit quam ipſum imperium. Atque hinc quoque à Politicis annotatum eſt, mediocria ingenia exquiſitiſſimis aptiora Reip. gubernandæ. Videre hoc Athenienſes, quorum iudicium in civilibus exactiſſimum fuit, & in tempore providerunt, ne nimia alicuius autoritas Reip. noceret. Difficilius enim & periculoſius potentia iam confirmata exſcinditur, quam nova tollitur. Porro illud egregie ab Athenienſibus quoque inſtitutum, quod omnes, cum magiſtratum finirent, rationem actorum Logiſtis exhiberi ſoliti fuerint. Quam Legem Plato Lib. XII. de Leg. & ex eodem M. Tullius Cicero prolixe laudarunt. Plurimos enim impunitatis ſpes ad crimina invitat. Cum vero red-

denda

denda ratio eſt, cuncti quam maxime ſibi cavere ſolent, ne ullam infamiam ſibi ſuiſque contrahant. Logiſtæ itaque & Euthyni ſingulis annis Athenis creabantur, qui inquiſitione inſtituta damnabant abſolvebantque eos, qui magiſtratu functi, vel in eo conſtituti adhuc erant, quales erant Areopagitæ, quorum perpetuum imperium fuiſſe diximus. Denique omnes publica præconis voce admittebantur ex populo, qui accuſationem inſtituere vellent. Tandem vero ab Heliaſtis iudicibus re perſpecta abſolvebantur vel damnabantur. Neque ulla Logiſtarum ſententiæ, ſi iniqua videretur, ratio habebatur. Alioquin calumniis Logiſtarum etiam optimi præſtantiſſimique obnoxii fuiſſent. Porro nullum inertem atque otioſum eſſe permiſſum fuit. Ita tamen ne duas ſimul artes exercerent, vel

vel quia intentionis acies pluribus rebus obtunditur, vel ne cives ſibi invicem obeſſent. Quin lege cautum, ut Areopagitæ ignavos corriperent, pœniſque & ignominia multarent. Credebant quippe cordatiſſimi mortales, & recte, vitam in actione conſiſtere. Ocium enim ingenii vim debilitat, ſpiritus obtundit, & veluti longa rubigine lædit, malas denique artes docet. Aquæ quæ non moventur putreſcunt. Etiam animum remiſſio deteriorem reddit. Recte Catullus, ocium reges prius & beatas perdidit urbes. Hanc itaque peſtem civitatis recte eliminavit prudentiſſimus populus, & legequoque parentes conſtrinxit, ut artem aliquam liberi addiſcerent. Sin ſecus factum fuerit, filium patri, ſi neceſsitas poſtularet, nulla alimenta debere. Qui enim vitæ liberorum non proſpexit, indi-

gnus, quem rebus anguſtis reſpiciat filius. Contra qui parentibus ſuis ex merito dignos non exhibuiſſet honores, magiſtratu eum indignum exiſtimabant. Præterea voluit Lex ſingulos cives in totum Reip. ſtudioſiſsimos eſſe. Itaque ſi publica eſſent ſeditionum incendia, & factionibus concuteretur civitas, expreſſe cautum, ut alicui parti ſe addicerent. Melius de illa mereri videntur, qui quocunque modo Reip. conſulunt. Verum illi qui publicæ ſalutis ſecuri ſunt, & privatis tantum rebus ſe ſollicitant, indigni videntur, quibus aliquis locus vel dignitas in Rep. conſtituatur. Unde & honoribus movebantur. Quod incendit inflammavitque eorum animos, ne deeſſe quiſque ſuo officio videretur. Dixi ſuperius, quo pacto Reſp. Athenienſium, cum popularis ſtatus omnia perverteret,
tan-

tandiu inconcuſſa ſteterit, atque oſtendi, potiſſimam cauſam in curiosâ legum obſervantiâ poſitam fuiſſe, honorum quoque inſolentiam per oſtraciſmum prudenter è medio ſublatam. Munerum autem blandientem violentiam ita non admiſit, ut cordatiſſimi mortales, & bonorum & vitæ non ſemel periculum inde acceperint. Ut Timotheum, Epicratem, alios pręſtantiſsimos viros prætercam, quanto in periculo Callias fuit Hipponici filius, qui cum gloriosiſsimam Athenienſibus pacem cum Artaxerxe rege Perſarum iniiſſet, atque à Rege munera accepiſſe crederetur, vix capitis pœnam evaſit; Quin etiam ne coronam quidem inſcio populo ab exteris civitatibus accipere licitum fuiſſe teſtis mihi Æſchines cōtra Cteſiph. Et revera ſæpe munera magis labefactant invictum populum, quam

fortiſſimæ militum phalanges. Et qui accipit, quaſi donanti ſe dedit. Facile frangit etiam robuſta pectora fatale & debile lutum. Omnis itaque corruptio, quinetiam quælibet ab hoſte accepta munera, apud Athenienſes pœna capitis multabantur, ſicut ex Demoſthene contra Midiam apparet. Scribit quoque Dinarchus contra Demoſthenem, Imperatoribus exercituum, & Oratoribus, qui vice populi de rebus graviſſimis conſultabant, prolem ſuppetere debuiſſe, atq; in Attica regione proprium fundum habere, ſi ad ullas dignitates aſpirare vellent. Difficilius enim illi corrumpuntur, dum de liberis & immobilibus facultatibus ſibi metuunt. Quippe privata ſalus eos ad publicam ſalutem cohortatur, imo cogit. Fortiſſimum Reip. vinculum, privatas facultates cum publicis coniunctas habere. Cæteri

teri contra, quibus neque liberi, neque res ſuppetunt, ſecuri ſunt publicarum rerum, dummodo facillime vitam tolerent: & facile mutant dominum, qui meliorem fortunam ſperant. Ubi incendii vis proprias ædes proſternit, ubi hoſtium manu tui agri vaſtantur, incitatur ſingulis ardor ad hoſtem propulſandum, & dum ſibi, etiam ſimul publico conſulunt. Præterea longe quoque alacriores civium animos ad militandum publica liberalitas & veræ virtutis encomium reddiderunt. Si enim in bello morte aliqui occumberent, quorum fortuna tenuior erat, liberi ex publico alebantur, donec limitem pubertatis attigiſſent. Liberorum plerunque amor adurit præcordia, cunctæque curæ præ illis liqueſcunt. Quæ ubi publica autoritate ſublatæ, ſinguli, quorum pectora fervidus & militaris ſan-

guis implet, magis vitæ ſuæ prodigi ſunt, & ſecuritatem publicam ſuæ præponunt. Accedebat, quod per publicas laudes funebres virtus illorum cineri repoſta non maneret, ſed per mortem æternitatem quandam gloriæ adipiſceretur. Recte alibi Poëta dixit, Græcos nullius rei præter laudis avaros fuiſſe. Et revera ita magnis rebus pares fuere. Nam honeſta gloriæ cupido in generoſis corporibus fortiſſime agit. Humiles ſpiritus nulli egregio facinori idonei, verum recte quis illos cum Ariſtot. ad ſervitutem natos dixerit. Neque honores funebres tantum adhibiti, verum etiam ex publico ſumptu veteri inſtituto terræ committebantur. Magnum utique robur bene conſtitutæ Reip. in militia adverſus ingruentem hoſtium vim. Præmia itaque conſtituta iis, qui Remp. ſua virtute iuviſ-

ſent, ſuperius dictum eſt. Cuncti quidem Athenienſes anno decimo & octavo, quo tempore flos vernantis ætatis robur atque nervos intendit, uſque ad quadrageſimum annum, cum ſtata ætas conſiliorum maturitatem ſuggerebat, ſe ad militiam accingebāt. Ulpianus hoc tradidit ad Olynthiacam tertiam. Viceſimo anno patriæ ſuæ iuramentum adhibebant, ut ex Stobæo, Polluce, aliiſque liquet. Qui militiam detrectabat, publicis arcebatur cōventibus, Deorū immortaliū tēpla ingredi vetabatur. Quin & ipſam ignaviam militarē punitam princeps Atticæ eloquentiæ Demoſthenes contra Timocratem tradidit. an recte? quis enim fortitudinem in manu habet? Cur timiditas, ſi nullus dolus adſit, punitur? an æquum, naturæ leges ponere? fortitudinem & ignaviam ab erectiore vel remiſſiore

ſanguinis ſpiritu fieri. Itaque non magis fortes laudādi, quam ignavi puniendi. Utique tamen multi hac lege ad virtutem ſtimulabantur, urgebantur, quibus ulla honeſti ſpecie imbutum pectus erat. Verecundia, ut alibi Vegetius, dum prohibet fugere, efficit victorem. Atque Æſchines tradidit hanc ignaviam punitam, quo cives magis metuentes pœnas legibus conſtitutis, quam hoſtem, pro patria fortius pugnare vel etiam glorioſe occumbere non detrectarent. Illud tamen non probamus quod de Alcibiade tradiderunt veterum monumenta. Eam enim propter res præclare geſtas virtutis apud Athenienſes acceperat opinionem, ut ſi alea belli non ſuccederet, accuſaretur, quaſi victoriam adipiſci recuſaſſet. Ita refert Plutarchus accuſatum, quod Andron inſulam non occupaſſet,

cupaſſet, cum deviciſſet inſulanos. Ita Cimon, quod Macedoniam non tranſiiſſet, Miltiades quod Paron inſulam non occupaſſet, publice accuſati ſunt. Incerta, vaga eſt fortuna, neque uno in loco ſemper conſiſtit. Deſultoria ſunt belli momenta: ſæpe audacia pro fortitudine, timiditas pro lucro eſt, nonnunquam ipſa prudentia pro vitio. Itaque Marti legem ponere, qui nullas leges habet, & ſemper fluctuat, hominis inconſulti eſſe arbitror. Porro & illis qui in militia capti poſtliminio redierant, quos Græci δευτερóπoτμους appellabant, hanc inuſtam ignominiam tradidit Heſychius, ut ad Eumenidum ſacra accedere prohiberentur. cur ita? ut infixum illud pectori tenerent, aut vincere aut emori. Atque hinc Plato lib. v. de LL. ne quidem redimendos captivos voluit. Neque multum iis tribuendum pu-

tavit gentium domina Roma. Cum Populus Romanus poſt Cannenſem pugnam ſervorum deſideraret auxilia, captivorum contempſit, & credidit eos magis tueri poſſe libertatem qui nunquam habuiſſent quam qui perdidiſſent, inquit Seneca. Itaque omni modo Athenienſium populus cives ſuos non tantum ad ingenii cultum ſed ad Martiam quoque virtutem impellebat. Neque minor artium liberalium apud eos cura fuit. Magnis ingeniis honores ſuos luculentos tribuit Athenienſis Reſp. In Panathenæis maioribus rhapſodi Homeri Principis Poëtarum carmina, è cuius fonte perenni omnis admodum antiqua ſapientia profluxit, quem omnis eruditionis Oceanum, dictatoremque perpetuum appellare liceat, recitabant. Memoriæ hoc reliquit, præter Lycurgum contra

Leo-

Leocratem, Ælianus variæ hiſtoriæ lib. VIII. cap. II. Æſchylo, Sophocli, Euripidi, ſtatuæ poſitę, prohibitumque ne tantorum ingeniorum monuméta lingua hiſtrionum macularentur, ſed ut ſcribæ publice Athenienſium populo prælegerent. Uti ex Plutarcho in Lycurgi vita didicimus. Illud tamen admirandum eſt, in ea civitate, quæ omnis eruditionis Princeps fuit, aliquando lege cautum ne Philoſophia doceretur. Quam legem Critiam tuliſſe refert Xenophon. Præterea illud quoque magiſtratus egregie in officio continuit, quod ſi quid peccaſſent, ſtatim de iis exemplum ſumeretur. Tardiora plebis erant ſupplicia. Nimirum magiſtratus veluti ſpeculum eſt, in quod totus populus oculos dirigit. Sicuti autem ex infectis ſpeculis etiam ipſi oculi contagionem quandam contrahunt,

ita

ita moribus magiſtratuum infectis facillime ad alios vitiorum illa ſcabies ſerpit. Deinde ſuppliciorum tarditas in iis qui Reip. gubernandæ præſunt, etiam poſtea occaſionem puniendi tollit. Quod maximas dein Reip. difficultates parere ſolet. Sed hic quæritur an non utilius ſit Reip. geometricam aliquam proportionem, ut Icti loquuntur, in pœnis obſervari. Rectius quidem ius civile pro qualitate perſonæ vel delicti ſeverius vel clementius in vulgaribus delictis punire ſolet. Si tamen tale crimen ſit, quod Reip. egregium detrimentum adfert, etiam pœnæ recte augentur. Optime dixit Atticæ Eloquentiæ Princeps, idem delictum minus eſſe ſi à vulgo nautarum committatur, quam ſi à gubernatore, à quo maximum periculum imminet, ne in vada navis compingat, & nudum remigio veloque latus fero-

ferocienti procellę obiiciat. Hinc etiam iure civili Valentinianus & Theodoſius l. un. C. de conduct. lib. 11. graviorem inquiunt pœnam conſtituendam in hos, qui noſtri iuris ſunt, ut noſtra diſcant cuſtodire præcepta. Et alibi, multo maiore pœna eos eſſe dignos, quibus plurimum honoris delatum à ſe, Theodoſius reſcripſit. Et quidem apud Athenienſes eo ſeveritas legum in puniendis magiſtratibus proceſſit, ut Principem ebrium morte multandum cenſuerint. Raro arcana Reip. latent, ubi vinum dominatur, ſed tum maxime ſubſequitur, ut cum poëta loquar, cæcus amor ſui, & tollens vacuum plus nimio gloria verticem, arcanique fides prodiga, perlucidior vitro. Matrimonia quod attinet, lege Solonis cautum tradidit Plutarchus, ut ſponſa in thalamum deducta malum cydonium guſtaret ἀριστό-

μέμος, inquit Plutarchus, ὅτι δεῖ ἀπὸ στόματος καὶ φωνῆς χαίρειν διάρμοστον εἶναι πρώτην καὶ ἡδεῖαν. Nonnullæ leges turpitudinis merito arguuntur. Inter quas præcipua, quod legitima Athenis habita ſint cum ſororibus connubia. Quod tamen cum temperamento intelligendum. Philo enim Iudæus accuratus autor recte docuit, Solonem nuptias fratris cum ſorore conſanguinea, non cum uterina vel germana, permiſiſſe. Atque ea de cauſa Athenienſes Cimonem urbe expluiſſe Andocides in Orat. contra Alcibiadem commemorat. Attamen etiam cum conſanguinea ſorore illicitus nefariuſque coitus eſt. Interea tamen hoc notandum eſt, tales nuptias proprie iure gentium non eſſe inceſtuoſas. Recte enim reſpondet IC. Paulus in l. ult. ff. de Ritu nupt. Iure gentium inceſtum cōmittit, qui ex gradu aſcen-

aſcendentium vel deſcendentium uxorem duxerit. Utique tamen iuri naturæ adverſari videtur. Quamvis contrarium ſenſerit Hugo Grotius. Quid enim? tam proginqua ſanguinis neceſſitudo, & veluti animæ quædam communio, nunquid non cunctos mortales inſtinctu veluti naturæ abſterret? Nunquid non fœdum, turpe, in proprium quodāmodo ſanguinem irruere? Lex itaq; illa Solonis merito exibilatur ab iis, quorum mentem honeſti niveus candor imbuit. Porro illud quoque ſingulare in Rep. Athenienſium fuit, quod cogeretur proximus agnatus pupillam in uxorem ducere. Quæ lex plurimas lites & querelas plerunque peperit. Si enim pupilla opibus polleret, non raro inter agnatos contentiones maximæ oriebantur; quas Archontes dirimebant. unde & pupillæ, de

de quibus certabatur in iudicio, ἐπίκληροι appellabantur. Si autem eadem puella inopia vel vultu invenuſto atque illiberali prędita eſſet, ad nuptias lege agnati cogebantur. Hinc mutua benevolentia, quæ coagulum eſt unicum matrimonii, ut plurimum deſiderabatur, iurgia domeſtica pullulabant. In eo quidem recte Solon ſenſit, favore publico & auxilio pupillas fovendas eſſe, ſed utique idem neſcire non debuit, matrimonia eſſe debere libera. Nam uti variæ ſunt mortalium mentes, ita non eadem omnibus placent. Præcipue in nuptiis unuſquiſque ingenio ſuo utitur. Illud vero recte à Solone conſtitutum, deficientibus agnatis, ſi pupilla inopia laboraret, atque ita difficillime ad matrimonium ſe appellere poſſet, ut publica pecunia pro ratione dignitatis iis

conſtitueretur. Et paupertas nulli opprobrio ignominiæque erat, ſi virtutis opes eam illuſtrarent. Quare neque pauperi contumeliis inſultare licitum fuit. Ea enim quæ vaga illa inſtabiliſque fortuna moderatur, noſtra dicenda non ſunt. Nam & divitiæ indignis ſæpe conferuntur, atque iis quorum animi ſordes nullum lixivium purgare poſſit. Quis Midæ infames divitias honeſtâ Ariſtidis paupertate potiores exiſtimet? quamvis hunc ne ſepulturæ quidem ſumptus reliquiſſe Plutarchus graviſſimus autor memoriæ tradiderit. Illud quoque idem Plutarchus recte reprehendit, quod licitum fuerit uxori, alium ex propinquis ad concubitum admittere, ſi maritus gignendis liberis non eſſet idoneus. Neque tamen vinculum matrimonii rumpebatur. Re-

 ctius

ctius jus civile, quod noſtri mores ſequantur, legitimum eo caſu divortium introduxit. Illud quoque moris apud Athenienſes fuit, maritum, ſi ad communem locum abiret, teſtamento alteri uxorem tradere. Sicuti Demoſthenem Archippam uxorem ſuam teſtamento Phormioni ſervo ſuo cum libertate reliquiſſe veteres teſtantur. Summa enim mariti in uxorem ſemper poteſtas fuit, atque eius voluntas, niſi maleficium ſecum traheret, pro lege obſervabatur. Quin & ipſe Solon in hæreditatibus adeundis potiſſimam maſculorum rationem habuit, fœminis ex liberalitate dotis ut plurimum exigua ſumma perſolvebatur. Id ex Demoſthene Oratorum principe liquet. Splendor nimirum familiarum in maſculis conſiſtit. Fœminæ aliorum generi per connubia ſe inſerunt. Iniquum

quum tamen, eos, quos Natura ex iiſdem parentibus ex eodem ſanguine genuit, non habere itidem ius æqualitatis. Sexus Naturam non diſtinguit. Quin & imbecillitas imperfectioque mulierum magis commiſeratione quam pœna indiget. Facilius viri concumulare opes poſſunt, quam fœminæ. Illud quoque ſingulare apud Athenienſes fuit, quod non fuerit licitum frumentum urbe exportare. Ideo Athenis cæſum virgis Athenagoram Cynicum Cicero tradidit. Idque prohibitum, ne ſi exportatione res frumentaria in arctum redigeretur, ſeditio plebis civitatem concuteret. Recte alibi inquit Seneca, nec rationem patitur, nec æquitate mitigatur, nec ulla prece flectitur populus eſuriens. Ibi ſimultatibus cuncta agitantur, ubi neceſſaria deficiunt. Atque hinc etiam anti-

qui in monopolia frumentariorum quam ſeveriſſime animadverterunt. Nihil gravius acerbiuſque iis qui veluti publicam famem negotiantur, atque ex aliorum calamitatibus ſibi meſſem faciunt. Unde apud Athenienſes Aliterii & Sycophantæ, qui frumenti ficuumque rationem habebant. Itaque qui monopoliis annonam flagellant, non tantum vetiti, ſed prohibitum quoque plus frumenti quinquaginta phormis coëmere. Quam legem non obſervare capitale erat, ut Lyſias κατὰ σιτοπωλῶν nos docet, eidemque curæ Sitophylaces præpoſitos monet, qui ſi munus iuxta leges non adminiſtrarent, capite pœnas luebant. Etiam illud ſapientiſſime cautum, ne peregrini civium ad ſe commoda traherent. Artium enim omnium exercitia iis prohibita, interdicta quoque omnis in foro venditio.

Quam legem laudat Demoſthenes ἐν τῇ πρὸς Εὐβουλίδην Ἐφέσει. Ne autem peregrini & cives confunderentur, ſumma ſemper cura adhibita. Si enim peregrinus civis alicuius Athenienſis ſe nuptiis inſeruiſſet, bona haſtæ ſubiiciebantur, ipſe in ſervitutem redigebatur. Teſtis mihi Demoſthenes contra Neæram. Modeſtia quoque morum, præcipue in fœminis, ne luxu diffluerent, lege imperata eſt. Veſte tincta vel purpurea Panathenæorum pompam ludoſque ſpectare vetitum Lucianus in Nigrino tradidit. Fœminas bigis ad Eleuſinia ſacra ferri prohibitum. Autor Plutarchus in Lycurgo. Tria tantum veſtimenta cum vaſis aliquot exigui pretii ad ſponſum ſponſæ deferre licitum Plutarchus in Solone commemorat. Sumtuoſius quoque ſepulchrum, quam triduo decem artifices perficere

ficere poſſent, lege vetitum, neque id opere tectorio exornari, neque hermas, quos vocabant, licebat imponi, ut M. Tullius Cicero lib. 2. de Legibus inquit. Addit idem de Demetrio Phalereo, *ſed ait rurſus idem Demetrius, increbuiſſe eam funerum ſepulchrorumque magnificentiam quæ nunc fere Romæ eſt: quam conſuetudinem lege minuit ipſe. Nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis non altiorem, aut menſam, aut labellum: & huic procurationi certum magiſtratum præfecerat.* Tribus quoque tantum veſtibus ſeu riciniis cadavera condi Solonem edixiſſe Plutarchus affirmat. Quantæ illud quoque continentiæ, quod à Solone lege cautum Athenæus lib. IV. tradidit, quod iis, qui in Prytaneo convivabantur, maza, diebus vero feſtis panis apponeretur? Quem tamen honorem

maximum

maximum fuiſſe totius Græciæ, ut alicui quotidianus victus in Prytaneo exhiberetur, Cic. lib. 1. de Oratore refert. Quantæ illud ſanctimoniæ, ianthinis veſtibus meretricem ab honeſta diſcriminare matrona, adulteræ in publicum prodeuntis veſtes lacerare, muliebrem mundum eripere, pulſare, adulteram in adulterio deprehenſam occidere licitum, eum qui fœminam ad illicitos concubitus producit morte multari, ut Æſchines contra Timarchum prodidit? Quantus rigor in delictis puniendis, eum qui licet innocenter alicui vitam eripuiſſet annuo multari exilio, donec manes defuncti placandis conſanguineis expiaverit, uti Demoſthenes contra Ariſtocratem teſtatur? Si quis aliquem dedita opera læſerit, exilio & publicatione bonorum, ſi redierit, etiam morte puniri, ut ex

 Lyſia

Lyſia conſtat? Quantæ religionis, homicidam occiſi in ſolo puniri, ut ferali aſpectu manes defuncti expiarentur? inanimata, quorum caſu cædes facta, finibus Atticis eiici, ut Pauſanias lib. 2. Eliac. memoriæ reliquit? Manifeſtis crumenarum ſectoribus, vel qui in balneo, gymnaſio, portu, furtum, exigui licet pretii, commiſerint, olim etiam, ut ex Feſto conſtat, (quod tamen poſtea mutatum,) ficuum ſurreptoribus mortem indictam fuiſſe? Quam civilis vero illud clementiæ, vinculis aſtringere Athenienſium civem, illicitum, ſi tres vades dederit, niſi fuerit publicanus, ſponſor, proditor, vel qui ad evertendum popularem ſtatum animum accinxerit? Quantæ illud libertatis popularis, neminem armis inſtructum intra urbem prodire potuiſſe? Quod præter alios Thucydides

anti-

antiquiſſimus autor retulit. Quantæ denique illud benignitatis, quod Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt, erranti viam demonſtrare? Hæc quidem præcipua, quæ illuſtria in Rep. Athenienſium fuere. Athenienſis autem populus libertatis, quidem amantiſſimus, primas ſuas vires, roboriſque lacertos, ſub Philippo, Alexandro Magno, Antipatro, qui urbem ad extrema redegit, plurimum imminuit. Et revera ſi ipſam Remp. penitus inſpiciamus, Athenienſes omnis eruditionis principes, ingeniique admirandi fuiſſe, nemo eſt qui dubitat. Illud itidem vere à graviſſimo ſapientiſſimoque autore T. Livio traditum eſt, eos verbis tantum literiſque, non armis contra Philippum Regem ſagaciſſimum pugnaſſe. Neque vero eorum res tantæ fuiſſent, niſi decora

ingenia inveniſſent. Ventoſa ſemper in univerſum Græcorum natio, neque ullos iactantiæ limites poſuit. Utique nimia, ut ita loquar, literarum intemperantia molliebat eorum animos. Quæ ſi non temperetur auſteris bellicis artibus, hoſti ludibrium debet. Quod uti raro contigit, ita in Rep. Romana ſingulare fuit. Nam civilibus belliciſque artibus totum tandem terrarum orbem ſuo ſubdidit imperio, ita ut tandem propria mole laboraret. Armorum itaque virtus Athenienſibus defuit, ſive quod cœli clementia debilius animos excitaret, ſive quod dicendo intenti rebus agendis impares eſſent. Quare aliquoties mutationem ſubiere, primo ſub Macedonibus, deinde ſub Rom. à Sylla imperatore cladem cruentam accepere. Urbe nimirum obſeſſa ita eos fame fatigavit, ut ne quidem

dem humanis carnibus abſtinuerint. Neque ventris furor ſatis gravis calamitas, niſi poſtea direpta urbs à ferociſſimo milite in ſanguine ſuorum civium nataſſet. Plurimi, ne in hoſtium manus inciderent, ſibi vim intulerunt. Urbs in urbe quærebatur. Piræum nobiliſſimum opus dirutum, vaſtatum, mænia ſolo verſa, quæ demum ſub Valeriano reſtituta Zonaras tradidit. Tamdiu certe Athenarum autoritas adhuc ſtetit, quamdiu imperio Orientis aliquis honos reliquus. Donec lacerato imperio, primo Acciaiolo Florentino urbs dedita, quæ familia uſque ad Nerium imperavit, poſt cuius mortem per matrimonium viduæ Palmerio Veneto, dein Turcarum violentæ potentiæ ceſſit. Ex quo tempore Athenienſes ſervitutem non tantum corporis verum etiam animi quandam æruginem

ginem contraxere. Horrida nimirum barbaries, atque ignorantiæ immenſus ſtupor illis locis incumbit, unde ipſa civilitas nata eſt. Inculta Turcarum illuvies ignem ingenii in univerſum obtudit. Fortuna ut plurimum adverſa mentis alacritatem adimit, & qui ſervitute oppreſſi, difficile ad humaniora ſtudia animum accingunt. Muſis libertas innata eſt. Vide de hodiernis Athenis Epiſtolas Græcorum ad Crucium.

Cap. VII.

De Rep. Lacedæmoniorum.

SIcuti Athenienſium Reſp. ad omnem civitatem paciſque artes compoſita fuit, ita Lacedæmonii cuncta ad robur & fortitudinem direxere. Primo regum libidini obnoxii, dein autoritate Lycurgi ad libertatem aſpirarunt.

Duo

Duo reges creati, ſed quibus nervi poteſtatis præciſi fuere. Adiuncta ſenatus autoritas ex viginti & octo viris, quorum domi tanta poteſtas, ut nihil regibus licitum eſſet, niſi antea concilio eſſet approbatum. Quibus comprimendis adiecti Ephori. Regibus inſigne imperii ſupremuſque honor conceſſus, ſenatui, cuius per multitudinem diſſipata erat autoritas, omnis fere poteſtas. Uti autem æqualitas concordiæ mater, ita difficili admodum molimine opulentiorum agros communes fecit, atque inter cives diviſit. Ita autem ſingulis partes attribuit, ut ſingulis familiis ad victum frugalem ſufficerent. Eodem fere modo quo ſanctiſſimam Hebræorum Remp. conſtitutam monuimus. Unde omnem agrorum venditionem Lycurgus prohibuit, ne ingruente neceſſitate paupertatis ſæviſſimo telo affligerentur.

rentur. Quiſque igitur ſua manu ex agrorum proventu victitabat. Qui modus vivendi uti antiquiſſimus, ita innocentia fere, & frugalitas eum ſequuntur. Accedit quod animos & corpora ad robur militiæ indurat, luxum conculcat, parcimoniam omnemque adeo virtutem docet. Sicut arbores, quæ boreæ oppoſitæ, duriores evadunt, ita firma ſunt neque facile reſolvuntur eorum corpora, quos aratrum & terra exercuit. Atque hinc ne ipſæ quidem divitiæ, niſi in quantum natura deſiderabat, in pretio fuerunt, avaritia multorum malorum mater exſcindebatur. Uſus auri & argenti, qui peſſimas ut plurimum artes mortales docuit, lege vetitus. Viles nummi ferrei, quantum utilitas poſtulabat, cuſi ſunt. Ita luxuria, omniſque avaritia, & opum & auri furioſa cupido eiecta eſt Rep. Bene erat iis

qui-

quibus Deus obtulerat parca quodſatis eſtmanu. Pleraſq; Reſp. nimis ſecunda fortuna, nimiæ divitiæ peſſumdedêre. Inde cunctę fere ſcelerum cauſæ, inde mollities animum enervavit, præcipiti via in ſingula fere vitia trãſcurſum, everſa militaris diſciplinæ, leges conculcatæ. Tanta continentia Laconum Reſp. octingentos annos ſtetit. Recte utique in Rep. bene conſtituta ita viveretur, ſi cum potentia ſæpe hoſtium dimicandum non eſſet. Sola quidem animi virtus magnifice quidem ſed non ſatis caute hoſti opponitur. Ius gentium aurum argentumque introduxit, ut legitimo modo, ubi uſu venit, uteremur. Si divitiæ quaſdam Reſp. peſſumdedêre, id ex abuſu ortum. Cui aliis legibus ſumtuariis occurri potuit. Nemo vinum vituperat, quia nonnullis mentis rationem perturbat, ipſamque divi-

divinitatis particulam loco movet. Si opes quoque plures in luxum, voluptatum, aliorumque vitiorum ſentinam & barathrum detruſerint, id illorum vitium eſt qui neſciunt aurea mediocritate uti, atque divitias in neceſſarium uſum reſervare. Patriæ defendendæ, amicis auxiliandis, multum utilitatis aſperitas nummi habet. Eadem de ratione omnem mercaturam, & peregrinationem inhibuit legiſlator admodum imprudenter. Etſi enim hinc non infima vitiorum ſeges ex peregrinis moribus pullulet, multæ quoque hinc honeſtæ utileſque artes naſcuntur, prudentia civilis roboratur, nutritur. Nemo ita Remp. potuit inſtituere, ut nihil inutile vel pernicioſum reperiatur, hoc enim ſufficit præponderare quæ optima ſunt. Sicuti enim etiã optima rura infœlix lolium premit, & ſufficit agricolæ quod frumẽta nõ
ſuffo-

ſuffocentur, ita legiſlator etiam optimis inſtitutis vitia quædam agglutinari patietur. Accedit, quod magna peregrinorum vitia eximiæ quoque ut plurimum comitantur virtutes. Præſertim ibi, ubi natura exquiſita fabricavit ingenia. Italia tota hodie luxu diffluit, multiſque criminibus abundat, eadem prudentiæ civilis promptuarium, ingenii publica palæſtra recte audit. Etiam ex ipſis vitiis, quæ erudite & cum artificio, non ſtupido impetu captat, homo cordatus diſcere poteſt ea, quæ emolumentum ſuæ afferre poſſint Reip. Præterea ex præcepto Lycurgi nullis mœnibus cincta fuit Lacedæmoniorum civitas. Putabat enim illud ignaviæ atque deſidiæ eſſe latibulum, vallo ſe cingere, civium corpora pro vallo & munimento eſſe debere. Illa certe ratio militandi periculoſa: neque enim ſemper fortitu-

dinē ſequitur Fortuna. Vis artium militarium expers mole ruit ſua. Sæpe cæco impetu victores illi evadunt, quorum vires acciſæ. Singuli quoque ictus telorum plerunque certi, ubi nullum adverſus hoſtem repagulum. Hoc eſt animæ ſuæ prodigum eſſe, & velle ex ſtatione recedere, antequam ſupremus iubeat imperator. Civium quoque numerus, in quo conſiſtit robur maximum civitatis, decreſcit, minuuntur ſpiritus, dum cruentum Bellonæ flagellũ ſingulos verberat. Quingentos tamen annos ita ſe toleravit fortiſſima civitas. Donec Thebano bello afflicti primo tumultuario opere urbem cinxere, tandem etiam iuſtis mœnibus circumdedere. Porro ne civitas ſeveris legibus coarctata tandem in luxum abiret, continuis exercitiis urbs fatigata eſt, unde & patiens Lacedæmon dicitur, dein

fruga-

frugalitatem quoque & parcimoniam per publica convivia, quæ Pheiditia appellabantur, introduxit. Neque enim licitum ulli privatim cænare, ſed quiſque dimenſum ſuum publice afferebat. Hinc vitæ inſtitutum inter divites & pauperes æquale fuit, ſeveritas morumque rigor æque omnes verſabat, nulla gulæ irritamenta, ſed ad famem ſedandam compoſita, ad virtutem compoſita oratio, verecundus atque honeſtus introitus atque exitus. Atque hic duriſſimus modus diutiſſime admodum ſumma religione obſervatus fuit, ut tradidit graviſſimus autor Plutarchus. Neque mirum, cum etiam duriſſima conſuetudo facilis evadat, præſertim ſi tenera eam ætas imbiberit. Imo arctius conſuetudinis ſæpe vinculum eſt, quam ipſius naturæ. Traditum ab iis eſt, qui ſingula naturæ momenta

obſervant, ramos arborum prima adoleſcētia per vim intortos, ubi legitimum robur acceperint, difficilius poſſe flecti, quam quos eiuſdem craſſitiæ ipſa natura produxit. Ita illud quod contra naturam intortum eſt, ipſa Natura validius evadit. Quare & Lycurgus in educandis liberis rigidiſſimus fuit exactor, adeo quidem ut pueri nudis pedibus rupes atque ſentes & invia montium percurrere cogerentur. Illud crudele & inauditum quod ſine ulla cauſa ex ſola æmulatione quotannis pueri coram altari Dianæ Tauricæ cæderentur, ita ut irriguus flueret ſanguis, tantā tamen pertinacia etiam dolorum acerrimos cruciatus tolerarunt, ut ne gemitus quidem vel ſuſpirium audiretur, ſed omnem dolorem veluti in cordis penetralibus clauderent. Et ille ritus etiam tum perduravit, cum Romanorum iugo

iugo Sparta ſubiecta fuit. Quod Cicero, Plutarchus, Seneca, & ex Chriſtianis antiquiſſimus Tertullianus memoriæ prodiderunt. Quin etiam Ælianus tradidit, decimo quoque die nudorum puerorum corpora Ephoros contrectaſſe, qui toroſiores mollioreſve eſſent. Quos vero mollities læviſque turgor dedecorabat, tanquam ignavi & otio flaccidi verberibus percutiebantur. Præterea literis non niſi ad neceſſitatem addicti fuere Spartani. Exiſtimabant enim torpidam molliciem literarum intemperantiam parere. Senectuti apud illos ſummus honor habitus, quæ ſæpe in adoleſcētum vitia animadvertebat, ſi Pædonomus, cui publica illa cura commiſſa erat, abeſſet; & huc quadrat, quod Iuvenalis alibi inculcat,

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,

Si iuvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunque puer, licet ipſe videret
Plura domi farra, & maiores glandis acervos.
Tam venerabile erat, præcedere quatuor annis.

Tanta autẽ gloriæ cupidine æſtuabant ut in durifſimis certaminibus, cũ etiã ipſa mors immineret, nemo tamẽ ſe victũ fateretur. Audite verba Ciceronis lib. 5. Tuſc. Quæſt. Adoleſcentium greges Lacedæmone vidimus ipſi incredibili contentione certantes, pugnis, calcibus, ungibus, morſu denique, ut exanimarentur prius quam ſe victos faterentur. Ita ſemper victoriæ aſſueti, etiam hoſtibus eandem ſæpe extorſere. Primus enim gradus ad victoriam eſt, vincere velle, atque animum poſſidere cedere neſcium. In viris utcunque hæc tolerari poterant, quorum præcordia de graviore luto Natura finxit, ſed eadem à mulieribus, quæ ad molliciem

ciem natæ, requirere, aliis gentibus inauditum. Sicuti enim cæteris urbibus, ut Cicero loquitur, molliſſimo cultu parietum umbris mulieres occultabantur, ita Spartanis fœminis pulvis, labor, militia, certamen æque in uſu erat atque viris. Atque illud quidem virginibus proprium erat. Cæterum Plato lib. 1. de leg. & Ariſtot. lib. 2. Pol. ubi veterum Reſp. examinat, maximam nuptarum mulierum licentiam, luxuriam, intemperantiam acriter reprehendit. Nam cum mariti ſæpe Reip. cauſa abeſſent, ſpeciem veluti imperii ad ſe traxerũt mulieres. Sicut autem illi, quibus obtẽperare conſtitutũ, inſoleſcere ſolent, cum imperant, ita magis mulieres, quarum animus uno momento huc atque illuc impellitur, excuſſo rationis iugo nullum inſolentię modum imponere nôrunt. Porro in matrimo-

niis adultæ robuſtæque ætatis maxima ratio habebatur. Tanto autem cum pudore & honeſtate coniugia contrahebantur, ut rarò ipſas uxores interdiu mariti viderent, niſi ex iis prolem ſuſcepiſſent. Adulteria ibidem ita fuere inaudita, ut nullam de eius pœna Lycurgus legem conſcripſerit. Illud fœdum apud illos; quod iuvenculæ, cuius maritus debilis aut frigidus eſſet, licitum fuerit alium ſibi eligere, ex quo prolem ſuſciperet, item marito, ſi uxorem ſterilem haberet, etiam iure licitum fuerit ſe coniungere alterius uxori, quam fœcundam eſſe compertum eſſet. Ridiculam itidem cœlibum pœnam inſtituit legiſlator. Si enim in cœlibatu quis annum trigeſimum quintum tranſgreſſus eſſet, ut ex Platone colligitur, media hyeme, depoſita veſte nudus in forum procedere cogebatur,

tur, & ab ab omnibus honoribus arcebatur. Illud quoque admirandum in eâdem Rep. quod parentes alimenta nulla infantibus præſtiterunt, ſed proles recens nata ad ſuæ tribus primos & venerabili canicie conſpicuos deferebatur, quæ ſi debilis eſſet, non procul à Taygeto monte præceps ferebatur ut inutile terræ pondus, ſi proba eſſet eius conſtitutio, curabant aſcribi in publicarum ſortium numerum. Totus enim urbanus ager in mille ſortes diviſus erat. Acriter illud reprehendit Princeps Philoſophorum Ariſt. Polit.lib.2. manente enim, inquit, agri illa diviſione, generatis multis filiis neceſſe eſt multos pauperes fieri. Sed recte ab eruditis obſervatū eſt, increbeſcentem multitudinem coloniis imminutam fuiſſe. Atque ita priores opes, etſi illæ exiguæ eſſent, intactæ conſiſtebant. Dixi

ſupra, ſingulis familiis agrorum poſſeſſiones aſſignatas fuiſſe, neque licitum fuiſſe eas alienare, ne tandem omnes agri paucorum potentiæ obnoxii forent. Plutarchus ſcribit, Epitadeum quēdam Ephorum ſummæ apud ſuos autoritatis legem hanc abrogaſſe. Atque hinc retro fluxiſſe res Lacedæmoniorum, cum pedetentim opulentiores cunctas poſſeſſiones ad ſe traherent, neque aliis ſuppeterēt facultates unde vitam tolerarent. Neque enim ex opificiis, quibus Spartanorum generoſi ſpiritus ſe ſubmittere non ſolebant, ullus quæſtus publicus erat. Quamdiu autem floruit hæc Reſp. communio veluti quædam bonorum & civium æqualitas locum habuit. Atque hinc, quamvis admodum abſurde, furta Lycurgus permiſit. In tanta enim civium æqualitate, eademque bonorum diviſione, ne-

minem

minem inventum iri exiſtimavit, qui aliorum bonis inſidiaretur. Signum autem illud aſtutiæ militaris eſſe credebatur. Si deprehenſus, flagris uſque ad mortem percutiebatur, ſanguineque ſuo Dianam placabat. Illud quoque ſingulare apud Lacedæmonios fuit, quod ſi legatos Reip. cauſa ad aliquem populum mitterent, duos coniungerent, quorum æmulatio utrinque virtutem accendebat. Dum enim alter in alterius acta inquirebat, ſinguli ſibi cavebant, & quantum poterant Reip. ſuæ conſulebant. Sicuti enim ſilices contuſi ex mutuo attritu ignem eiaculantur, ita ſingulorum incitata virtus ardorem quendam publico ſalutarem concipiebat. Accedit quod ingenia ut plurimum ſibi ſolis relicta torpeſcunt, cum aliis commiſſa acuuntur. Præterea, recte quoque Ariſtoteles Politico-

rum

rum primus ſervorum multitudinem, qui Hilotes appellabantur, in Rep. Spartana reprehendit. Quorum potentia aliquoties civitatem contrivit. Dum enim domini externis bellis occupabantur, laxato ſervitutis freno ad res novas animum appellebant, Quorum diſſidia Laconum hoſtes vicini ut plurimum, Argivi, Meſſenii, Arcades, fovebant. Servorum utique, quia plerunque fortunis dominorum inſidiantur, maximam rationem habendam eſſe, recte monuit Princeps Philoſophorum. Si enim indulgentius habeantur, inſoleſcunt, & tandem ipſis dominis opponere ſe vel ſaltẽ comparare audent, ſi durius etiam cervicibus dominorum imminent. Ita Siciliam ſervili bello graviſſime ſauciatã fuiſſe Romanæ teſtantur hiſtoriæ. nam durius habita ergaſtula, catenatiq; cultores bello cauſam præbuere.

Cui

Cui malo nullum remedium oppoſitum à Spartanis. Nam & ſervorum multitudinem, quæ quotidie creſcebat, non compreſſere, cum ipſi cives quotidie bellis graviſſimis attererentur., & longe pauciores evaderent. Ita quotidianum periculum illi civitati imminebat, ubi plures ſervi quam liberi. Ultimo, ut nimiam Ephororum poteſtatem, quæ nullis legibus obnoxia, præterea, illud quoque peſſime in hac Rep. ſe habuit, quod omnia ad diſciplinam militarem digererentur, nullæ pacis artes in pretio eſſent, omnis pene eruditio præter breves quaſdam & intortas ſententiolas, contemptui haberetur. Nam & militares artes, & civiles, æque Reſpub. deſiderat &, ut Poeta loquitur, alteriūs altera poſcit opem res & coniurat amice. Ita belli tempore ut plurimum floruit hæc civitas, pace tandem, quia regen-

regendi modus deerat, extincta.

Cap. VIII.

De variis antiquorum Rebuſp. ſparſim.

Conſtituimus hoc capite ſparſim ex Græcorum Rebuſpub. quædam excerpere, quæ ſilentii caligine tegi nequaquam poterant. Neque enim cuncta inſtituta & leges ſub acumen calami incidere poſſunt vel debent. Quippe multarum legum ſimilitudo & cognatio plurimiſque uſurpata populis, cũ totiens recitatur, faſtidium homini cordato parit ſi audiat, ſi dicat, otio ſuo abutitur. Quapropter ſparſim ex veteribus Rebuſp. ea trademus quæ aliquod momentum ſecum trahere videntur. Poſt Athenienſem autem & Lacedæmoniorum Remp. magnæ quoque dignitatis & antiquitatis Cretenſis olim

fuit.

fuit. Antiquitatem Minos legiſlator vetuſtiſſimus arguit: amplitudinem & dignitatem, quod centũ urbibus habitata fuerit, & inter Græcos prima imperiũ maris adepta ſit. Quod à plurimis antiquis autoribus traditum eſt. Potentia eius ex Seneca egregie colligitur:

O magna vaſti Creta dominatrix freti,
Cuius per omne littus innumeræ rates
Tenuere pontum; quicquid Aſſyria tenus
Tellure, Nereus pervium roſtris ſecat.

Utiq; ſingulis huius Reip. inſtitutis immorari operæpretiũ non eſt, cũ is qui Laconũ Remp. novit ambas noverit. Etſi enim Polybius graviſſimus autor plane diſſimiles fuiſſe Reſp. innuat, potius tamen Platoni, ſummoq; Politiarum indagatori Ariſtoteli accedimus, qui Lycurgum patria relicta Cretam petiiſſe, & ſimilibus fere legibus

gibus Lacedæmona muniiſſe tradidit. Uti enim apud Spartanos cunctæ leges ad vitæ frugalitatem & duritiem militarem collimabant: ita quoque Cretenſium inſtituta Politia, ſicut prolixe Strabo refert. Publica convivia quæ Spartanis Pheiditia appellabantur, etiam Cretenſibus in uſu. Ephoros Spartanorum Coſmi Cretenſium referebant. Qui nullius itidem rei rationem reddere ſolebant. Quod in Cretenſi Rep. magis periculoſum, quia non ex populo, ſed ex paucis eligebantur. Atq; ea demum vera via ad tyrannidē erat. Illud vero apud Cretenſes melius ſe habuit, quod publica convivia ex publico itidem ſumptu inſtituebantur. Apud Lacedæmonios autem cogebatur quiſque dimenſum ſuum afferre: quod qui detrectaret aut propter inopiam non poſſet, urbe expellebatur. Quod neceſſario ſedi-

ſeditionem atque tumultus apud Lacedæmonios excitabat. Cretenſes autem ſumma frugalitate mutuaque concordia ſimul victitabant. Tradit Strabo antiquus Geographus, lege cautũ fuiſſe apud Cretenſes, ut cuncti cives, ubi puberratis limen attigiſſent, ad uxorem legitimaſque nuptias deberent animum appellere. Cui contrarium fœdum inſtitutum uit. Ne enim polytecnia inſu-m obrueret, eã legiſlator dam-avit atque ex Rep. ſua eiecit. Sa-andæ autem libidini amores ierorum nefandos obiecit. Il-d porro bene inſtitutum, quod licuerit iunioribus in leges pa-as inquirere. Ita enim putabant um autoritatem ſartam tectã-cõſervari oportere. Per inda-di autem curioſitatem earun-maieſtatem ut plurimum ef-gi. Enimvero etiam ſæpe ma-n legum inveterata conſue-

 tudo

tudo bona & utilis Reip. eſt. Et iuvenum ut plurimum iudicia temeraria eſſe ſolent. Primo hæc regio à Romanis Duce Metello Cretico domita, dein labentibus temporibus variam fortunam experta, tandem Venetis ceſſit. Porro in pulcherrima fortiſſimaque inſula Siciliæ, Syracuſana quoque civitas & Reſp. non tantum Siciliæ verum etiam totius Græciæ maxima & florentiſſima, autore M. Tullio, emicuit. Illam cum impotenter & crudeliter Gelon, Hieron, Thraſybulus, per tyrannidem occupaſſent, tandẽ ſui iuris facta optimam ſibi conſtituit Remp. quam magnus ille Ariſtoteles veram Politiam appellavit, quando nimirum populi diffuſa poteſtas cum optimatibus mixta & tẽparata eſt. Cum autem paucorum potentiam atque opes recte metuerent, inter quos Tyndarides principem locum tenebat,

bat, qui inconſultam plebem largitionibus corrumpebat, cohibendæ maiori poteſtati Petaliſmum induxere. Erat id genus exilii, quod citra ullam infamiæ notam vel fortunarum iacturam eminentioribus perſonis infligebatur. Speciem autem Oſtraciſmi Athenienſium, quos Syracuſani imitati videntur, referebat. Sicuti enim teſſellæ Athenienſes, ita πετάλῳ ſeu folio oleæ, ut vult Diodorus, eius nomẽ, quem eiectum urbe volebant, illi inſcribere ſoliti. Utique ſuperius cum de Athenienſium Oſtraciſmo ageremus tale exilium utilitatis publicę ſpeciem habuiſſe docuimus. Exploratum enim eſt, præſtantiſſima quæque ingenia difficile admodum ſuis limitibus claudi, ſed ſuprema quæque petere, donec eo aſcenderint, unde pedem referre neceſſitatis lex non permittat. Maximis ingeniis maxima

ambitio innata, & continuo impetu ad maiora illorum pectora detruduntur. Cui malo in tempore occurrere omnium rerum primum eſt. Et hic quidem modus puniendi apud Athenienſes fato quodam ætatem tulit, apud Syracuſanos abolitus. Quippe propter virtutem vel potentiam aliquem punire inauditum atque intolerabile videbatur. Utique maiorem potentiam alio modo cohibere non difficile fuit. Sicut luxuriantes vites ſecat agricola, ut in palmitem maiorem ſucci copiam veluti deducat, ita ſurculos ambitionis, cuius autoritatem nimiam metuit populus, alio modo inhibere poteſt. Ita enim aliquem ſumma potentia deturbare, ut ſpecies honoris immixta videatur, prudentis eſt. Contra ubi propter ſolam potentiam gradu dignitatis quis dejicitur, ipſa veluti virtus ſolio pellitur.

litur. Quis enim virtutem amplectitur ipſam, præmia ſi tollas? Dein etſi exilii hoc genus nullam infamiæ notã inureret, ignominiam tollere in totũ nequibat. Accedit quod unuſquiſque etiam optimus metuat, ſi ad Remp. animum appellat, ne familiæ bonorumque iacturam patiatur. Atque hinc recte poſtea Peraliſmus apud Syracuſanos abolitus, quia præſtantiſſimus quiſque privatam potius quam publicam vitam optabat. Unde in peſſimorum hominum manus Reſp. incidit, & niſi in tempore proviſum eſſet, in totum proculdubio peſſundata fuiſſet. Poſt quæ tempora publica quies civitati incubuit. Contra Tuſcos in Italia, finitimoſque Siciliæ populos, proſpere ut plurimum bella geſſit. Donec difficillimo Attico bello attrita, cædibuſque exhauſta, duce Gylippo Spartano, ite-

rum lacertos movit, atque Atticæ priorem fortunam plane conculcavit. Qua quidē victoria ferociens Syracuſanus populus altoſque ſpiritus gerens, ad popularem libertatem proclamavit. Licentiam autē nulli obnoxiam, & ut Plato loquitur, ἀναρχίαν ἐλευθερίαν, incōſulta plebes vocare ſolet. Sicuti enim immenſus gurges aquarum, niſi repagulum obiectum, cuncta abſorbet, atque ad ſe trahit, ita inconſultus populus, ubi anchoram male conſtitutæ libertatis poſuit, etiam optimas leges conculcat, & dum affectibus ſuis habenas laxat, pro libidine vaga leges figit & refigit, nihil denique penſi vel conſulti habet. Etſi autem Diocles, quem ſummum legiſlatorum, ſeverum pœnarum exactorem, juſtitiæque dictatorem rigidum Diodorus Siculus extollit, quantum in ſe fuit, optimis legibus Rēp. poſtea

fulſit,

ſulſit, tamen quia omnis autoritas penes populum eſſet, atque is fatua libertate abuteretur, tandē in tyrannorum manus incidit, ſub quibus tum in Africa tum alibi varia bella geſta. Donec tādem Syracuſæ bello Punico implicitæ à Marcello magno molimine obſeſſæ domitæque ſunt. Et niſi inteſtina acceſſiſſet proditio, diutius urbs potentiſſima obſidionem ſuſtinuiſſet. Diſerte hoc Livius teſtatur lib. 21. *Syracuſarum quoque oppugnatio ad finem venit: præterquam vi & virtute Ducis exercituſque, inteſtina etiam proditione adiuta.* Et mox. *Quanquam nec vi capi videbat poſſe inexpugnabilem terreſtri ac maritimo ſitu urbem; nec fame, quam prope liberi ab Carthagine cōmeatus alerent.* Quanta pulcherrimæ urbis opulentia atq; dignitas fuerit, ex eo liquet, quod tātum fere prædæ inventum fuerit, quantum vix

Carthagine capta fuiſſet, quæ ipſius Romanæ urbis diu æmula fuit. Quinetiam, ut vernanti floridoq; ſtilo Florus loquitur, tota inſula in una urbe ſuperata eſt. Grande illud & ante id tempus invictum caput Syracuſæ, quamvis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando ceſſerunt. Longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethuſa, niſi quod hactenus profuere, ut pulchritudini victæ urbis parceretur. Illud obiter addo, ſicut Syracuſæ, ita tota Sicilia poſt diviſionem imperii varios dominos experta eſt. Poſt Iuſtiniani enim tempora Saraceni per quadringentos annos inſula potiti, quibus ſucceſſere Normanni; dein Lombardi, Suevi, Germani, ultimo Galli, qui veſperis Siculis anno 1282. omnes ad internecionem cæſi, atque ita imperio

rio exuti. Poſt ea tempora Aragonum regibus obediit, donec morte Ferdinandi Regis, Aragonum & Siciliæ regnum regi Hiſpaniarum ceſſit. Porro inter cæteras Reſp. iure ſuo etiam nobilis Rhodiorum cenſetur: quorum optime temperatam Rempub. legũ obſervantiam, & æquitatem, Strabo accuratus Geographus lib. XIV in tantum extollit, ut admiratione dignam ſcripſerit. Maxime autem laudantur leges nauticæ, quas omnium vetuſtiſſimas fuiſſe Harmenopulus tradidit. Tanta æquitas & autoritas, ut Princeps populus eas non ſolum admiſerit, ſed etiam ſuis legibus immiſcuerit. Unde Antoninus, ſicuti l. 9. ad Leg. Rhodiam docet, reſpondit: Ego quidẽ mundi dominus, Lex vero maris. Lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præſcripta eſt, iudicetur: quatenus illi nulla legum noſtra-

rum ratio adverſatur. Hoc idem quoque Divus Auguſtus iudicavit. Eas autem leges Tiberii primum tempore in mores receptas, ius Grȩco-Romanum docet. Unde hic occaſio ſe offert ut breviter legis Rhodiæ medullam enucleemus. Hac itaque lege cavebatur, ut ſi naufragium immineret, & violentia ventorum fluctuumque furor ad extrema quæque navem deduxiſſet, iactus mercium navis levandæ cauſa contributione ſingulorum reſarciretur, cum pro omnium communi ſalute bona in profundum coniecta eſſent. Neque hic ratio ponderis ſed æſtimationis habebatur. Unde conſtitutum dominum navis pro portione ſua, quod navem ſalvã haberet, obligatum eſſe. Et hæc obtinebant, niſi poſt iactum mercium ita tempeſtas cohorruerit, ut navim fregerit. Omnis enim tum contributio ceſſabat,

ſabat, ſi quis ex naufragio quædam bona ſervaſſet. Ea enim ſalvis rebus tantum exigebatur. Sed de his latius agendi locus hic non eſt. Cætera vero inſtituta in obſcuro latent. Conſtituimus autem Achęorum quoque Rempubl. atque leges una hic opera indagare, & Colophonem huic capiti imponere. Conſtitit illorum Reſpubl. ſocietate aliquot urbium, cui pleræque Peleponneſi quoq; civitates mox ſe addixerunt. Tanta autem iuſtitiæ Achaiæ increbuit fama, ut pleræque eam Rempubl. tanquam amuſſim verumque Politiæ exemplar ſequerentur, ſicuti traditum eſt à Polybio. Tam arcta harum civitatum erat coniunctio, ut veluti una civitas diverſo mænium ambitu conſtans videretur. Communem quidem eæ habuere magiſtratum, cæterum ſingulæ quoque ſuis territoriis iura præ-

ſcri

ſcribebant. Neque ulla hic inter civitates opulentiæ vel dignitatis ratio habita. Minima quidem æque ius ſuum ſuffragiorum habebat atque maxima. Niſi quod plus momenti atque autoritatis conſilia opulentiorum urbium afferrent. Sed ita, ut quid patriæ eſſet utile, antea patres proſpicerent. Concilium maius ſtatuebant delecti ex ſingulis civitatibus, cui ſummus magiſtratus, qui Prætor dicebatur, militiæque imperator, præſidebat. Cui adiungebantur decem Demiurgi, qui optimis conſiliis Prætori aſſiſtebant. Quorum maxima & conſpicua erat dignitas, quos ideo Livius & exactiſſimus Polybius Achæorum magiſtratum appellarunt. Summa alioquin poteſtas penes concilium erat, ex cuius decreto bella ſuſcipiebantur, fœdera percutiebantur, omnes graviores cauſæ decidebantur. Sen-

ſententiam unuſquiſque liberrime pronunciabat: Chartæ autem ſingulæ committebantur, & poſtridie à concilio diſcutiebantur. Nulla unquam controverſia ultra triduum agitabatur. Inconſultum enim iudicabant prudentiſſimi mortales deliberationibus tempus nimis trahere, & inter partes diſſidiorum ſemina iacere. Quę ubi in nervos erupere, unuſquiſque pro defenſione ſuæ cauſæ quam pro publico magis ſollicitus eſſe ſolet. Inſita enim fere ea mortalibus eſt ambitio, ut pauci errores ſuos depoſita affectuum nebula dignoſcere poſſint vel velint. Quinetiam ex præfracta ſententiarũ diverſitate ſenſim ea ſæpe ſurrexerunt privatis odia, quæ fundamenta Reip. concuterent, & dilacerarent. Lege quoque cautum fuit, ne ulla alia cauſa externa in concilio proponeretur, niſi cuius cauſa conventus

tus inſtitutus eſſet. Recte utiq; exiſtimabant, præmeditatum aliquẽ ad deliberationes accedere oportere. Calida enim & ſubita cõſilia ut plurimũ periculoſa, vel ſimul cum fervore evaneſcunt. Neque tempus admittit, ut ſingula cauſarum momenta rationis libra ponderẽtur. Multa primo intuitu utilia videntur, quæ ſi altius animo perpẽderis, nemo non damnabit. Ipſa veritas in obſcuro latet, & conſilia cunctando eliciuntur. Sicut illi qui pedibus foſſam tranſiliunt, retro trahunt veſtigia, ut poſtea maiori impetu ſaltum perficiant: ita lente in conſiliis properare prudentis eſt. Prohibitum illud quoque ne cui civitati ſpeciales legatos ad exteros Principes mittere licitum eſſet. Nulla dona quacunq; ratione ab aliis accipere licitum fuit. Quod & aliis Rebuſpubl. uſitatum fuiſſe docuimus. Qui enim bene-

beneficium accipit, libertatem vendit. Cunctis virtutibus floruerũt, donec Romana tandẽ ſocietas, quæ ſub ſpecie defenſionis cunctas feres nationes ſub iugum miſit, etiã Achæis exitio fuit. Infectique Romanorum vitiis animi facile victi. Quandiu enim Iuſtitia, priſtinuſque candor, & concordia regimen tenuit, nullæ quidẽ uſquam conglobatæ gentes illos ſolio ſuo deiicere potuerunt. ubi virtutes illę in exiliũ miſſę, & avaritia, honorum cupido animos Achæorum labefactavit, diſcordiæque ſparſum eſt venenum, tandem nobiliſſima Reſpub. periit. Quam Rempubl. in multis cnm noſtra comparare haud abſonum eſt. Singularum enim civitatum iura, ordinum poteſtas, Iuſtitiæ vigor, conſiliorum lenta maturitas, regna externa fœderibus annexa, hoſtium conculcata violentia, Populi libertas

bertas, forma Reip. optima, quam ex optimatibus & populo temperatam eſſe oportere Philoſophus docuit, hic ubique fere eadem. Quæ ut æterna ſint, faxit Deus immortalis.

CAP. IX.

De Republ. antiquæ Germaniæ.

GErmania vetus longe lateque extenditur. Antiqui termini ab occaſu Rhenus, à meridie Danubius, inclyti atque nobiles amnes. Rhenus ex Alpibus Rheticis delapſus non longe à fonte ſuo tam propinquè ad Abnobam montem aquas magno impetu volvit, ut inter eius fluenta Danubiique caput non amplius quam duorũ miliarium latitudo intercedat, ubi Germaniæ ſtatuitur initium. Ab ortu à Sarmatis, ut loquitur C. Tacitus, mu-

tuo metu ac montibus ſeparatur. Ptolemæus Viſtula amne terminat, qui tenui ſcaturigine ex Carpathi montis iugis defluens, dum cum aliis fluminibus aquas ſuas miſcet augetq;, Cracoviamque hodiernam Polonici imperii ſedem ſecat, multis peragratis gentibus tribus oſtiis in Germanicum Oceanum influit. Ubi Carpathus in Danubium prominet, finit Germaniam. Itaque olim Germaniæ terminis Poloniæ Ungariæque pars comprehendebatur. Multis diffuſa fuit populis antiqua Germania. Populi indigenæ iuxta C. Tacitum hi ferme fuere, Cimbri, Marſi, Gambrivii, Suevi, Vandali, Batavi, Caninefates, Mattiaci, Catti, Uſipii, Tencteri, Bructeri, Chamavi, Angrivarii, Dulgibini, Chaſuarii, Friſii, Chauci, Cheruſci, Foſi, Sennones, Langobardi, Reudingi, Aviones, An-

S glii,

glii, Varini, Eudoſes, Suardones, Nuithones, Nariſci, Hermunduri, Marcomanni, Quadi, Marſigni, Gothigni, Oſi, Burii, Lygii, Arii, Helvecones, Manimi, Elyſii, Naharvali, Gothones, Rugii, Lemonii, Suiones, Æſtiones, Sitones, Peucini ſive Baſtarnæ, Fenni ac Venedi. Per varias autem gentium fatales migrationes, cum iiſdem ſe non continuerint regionibus, atque inteſtinis diſcordiis ſe invicem pepulerint, tãta facta eſt populorum confuſio, ut certis limitibus vix conſtringi poſſint: quin & ipſa fere nomina ignota. In his enucleandis cæteris fere palmam eripuit Beatus Rhenanus, iudicii ſagax, antiquitatis curioſus, uberrimoque eruditionis penu inſtructus. Atque curatè ea hic tractari noſtri fori non eſt. Obiter tamen migrationes Germanicarum gentium oſtendere,

operæ

operæ pretium fuerit. Primo quidem Bellovesum Ambigati Celtarum Regis ex ſorore nepotem ingentibus copiis in Italiam contendiſſe, ibidem Mediolanum condidiſſe, Livius lib. v. prodidit. Idem, Germanorum iterum manum tranſcendiſſe Alpes, atque ibi ſedem poſuiſſe, ubi olim Libui, nunc vero Verona & Brixia urbes ſitæ ſunt, cum Tarquinius Priſcus rerum potiretur, commemorat. Cimbri Teutonique in Galliã ſe effuderunt, ſed à C. Mario Domiti. Germanos in Britanniam traieciſſe, Caledonumque gentem iis originem debere, Tacitus in vita Iulii Agricolæ teſtatur. Rutilæ nimirum, inquit, Caledoniam habitantium comæ, magni artus Germanicam originem aſſeverant. Tungri trans Rhenum novas ſedes quæſiverũt. Triboci Mediomatricorum ditionem traiecto Rheno incolue-

runt, ut Strabo lib. iv. memoriæ reliquit. Nemetes & Vangiones in Galliam ſe recepere. Plerique olim Belgæ, ut Iulius Cæſar lib. 2. commemorat, à Germanis originem habuere, & cum alliceret eos terræ fertilitas, Gallos propriis expulêre ditionibus. Batavi Cattorum progenies inteſtinis diſſidiis inſulam fertiliſſimã, quæ brachiis Rheni cingitur, occuparunt, atque horrorem montium ſuorum, cum amœnitate Rheni & Vahalis commutarunt. Ubii ſedem poſuere, ubi Colonia Agrippina ſuas turres erigit. Marcomanni & Quadi Valeriam, quæ hodie Croatia, occuparunt. Ex iiſdem locis ſub auſpiciis Auguſti pulſos Rufus autor eſt. Quamvis eandem ſæpe repetierint. Superioris Pannoniæ partem Gallienus poſtmodum iis conceſſit. Tranſlatos quoque in Italiam à M. Antonino, cum devicti eſſent, Iulius

Iulius Capitolinus ſcribit. Carpi quoque & Suevi in Pannoniam, Sicambri in Galliam, Suevi in Hiſpaniam, ſicuti & Vandali, Catti & Alani, unde hodieque Vandaluſia & Cathalonia appellantur, magnâ multitudine ſe effuderunt. Franci, ut ſuo tempore videbimus, maris ſeptentrionalis accolæ, piraticâ infames, modo Bataviam modo extrema Galliæ vexarunt. Quorum audacia cum efferveſceret, ne victi quidem ſuos poſuere ſpiritus. Scribit enim Panegyriſtes ad Maximianum Aug. ſub Probo Imperatore, ipſos captivos in Ponto correptis navibus Aſiam & Lydiam depopulatos, Oceanoque iniecisſe catenas. Nazarius Hiſpaniarum quoque oras infeſtis armis invaſiſſe tradidit. Galliam continuis incurſionibus ita exercuerunt, ut labentibus temporibus leges illorum atque faſces ac-

cipere cogeretur. Primo itaque relicto Oceano loca Tencterorum, partim Catthorum uſque ad Mæni ripã & Salam fluvium habitarunt, ut Galliarum populos facilius iugo ſuo ſubmitterent. Alemanni inter Męnum, Rhenum, & Danubium, iuxta Sylvam Marrianam : Burgundiones iterum in Alemanniam & in regionem quæ antiquis Capellatium ſive Palas dicitur, hodie Palatinatus ad Rhenum ſervatis vetuſti nominis veſtigiis appellatur, demigrarunt. Saxones in veterum Sicambrorum regionem prope Francos, mox in loca Suevorum prope Albim, Toringi & Miſni in Cheruſcos, Heſſi in Catthos, Sleſii in Quados, Pruſſii, Pomerani, & Livonii in loca iterum Burgundionum, Toringorum, Miſnorum, & Heſſorum, Dani in Cimbricam Cherſoneſum ſe effuderunt. Ex his, niſi fallor, apparet,

paret, quam incerta & vaga ſedes fuerit veterum Germanorum, quanta gentium inter ſe mixtio. Cum vero Reſp. Romana faſtigio ſuo dilaberetur, cui non notæ Gothorum in Italiam, Galliam, Hiſpaniam ſanguinolentæ irruptiones, quis Herulos, & Rugios, & Lãgobardos fatales Italię vaſtatores, non cum horrore audit? Quæ demum Germana Germanorum natio appellari poteſt, ubi tanta colluvies hominum totum fere terrarum orbem infecit? Ne quidem inſulæ ferociente Oceano tutæ fuere. Britanni Pictis & in auxilium evocatis Anglis novas poſuere ſedes. Quinet cũ tota concuteretur bellorum flagello Britannia, ingens incolarum numerus in oppoſito Galliæ litore ſedem fixit. Quis denique Normannorum furorem ignorat, qui toties navigiis ſuis Friſiam Bataviamque depopulati

 horro-

horrorem unicuique incuſſere? Qui Gallias tanta vexarunt crudelitate; ut Carolus Galliarum Rex paci confirmandæ Rolloni Normanorum duci, regionem illam, quæ hodieque ab ipſius nomine Normannia appellatur, & filiam in matrimonium obtulerit? Sed hæc forſan nimis prolixè: aciem potius intentionis ad inſtituta Germaniæ dirigamus. Illorum leges atque inſtituta inter antiquos poſteritati tradidere Iul. Cæſar, Tit. Livius, & eleganter princeps omnium C. Tacitus. Inculta, horrida, cultu aſpera tota olim, nulliſque habitata urbibus. Iulius quidem Cæſar lib. IV. Belli Gallici oppida illorum appellat. Sed qualia intelligat, ipſe interpretatur: ſylvas nimirum vallo impeditas, quo incurſionis hoſtium vitandæ cauſa convenire ſoliti. Unde per oppida pagos paſſim vicoſque intellexiſſe videtur.

rur. Ædificia itidem rara, ſed pro re nata, ſi triſte illos cœlum premeret, culmo vel frondibus à frigore cœli ſedefendebãt. Et ſi ad diutinam ſtationem vel fontium exiliens murmur, vel camporum amœnitas invitaret, tuguriola & caſas ſeiunctim à cæteris ſtatuebant. Nonnullos quoque ſpeluncis habitaſſe antiquiſſimo mortalium ritu traditum eſt. De veſtimentis, accubitu, cæteriſque ritibus multa hic diſſerere ab inſtituto noſtro alienum eſt. Regimen legeſque eorum intentius rimari noſtrum eſt. Leges quidem ſcriptas habuere nullas, ſed conſuetudo vim legis apud rudes populos obtinebat. Nulla fuere apud eos diſtincta dominia; ſed magiſtratus, ut Iulius Cæſar teſtatur, ac principes, in annos ſingulos, gentibus, cognationibus hominum qui una coierant, quantum eis & quo loco viſum

erat, attribuebant agri, atque anno ſequẽti alio tranſire cogebant. Cuius rei multas, ut idem Cæſar loquitur, afferebant cauſas: ne aſſidua conſuetudine capti ſtudium belli gerendi agricultura commutarent: ne latos fines ſibi parare ſtuderent, potentioreſque humiliores poſſeſſionibus expellerent: ne accuratius ad frigora & æſtus vitandos ædificarent: ne qua oriretur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones diſſenſioneſque naſcuntur: denique ut animi æquitate plebem continerent, cum ſuas quiſque opes cum potẽtiſſimis æquari videret. Atq; ita communio veluti quędam bonorum introducebatur, cum ab arbitrio principum privatorũ poſſeſſiones penderent. Vagam quidem bonorum communionem litium diſcordiarumque fomitem alere recte contra Platonem, modo ea vera Platonis fuerit ſententia,

tentia, Ariſtoteles arguit. Germani autem medium quid ſecuti. Proprietas enim erat Principis, uſusfructus ſingulorum. Neque metuendum erat ne hic affectus dominarentur, cum antiqua morum ſimplicitas & fides, iuſtitia & integritas paribus paſſibus irent, & ſponte ſua mortales rectum colerent, nulla divitiarum ærugo eorundem obſediſſet pectora. Quæ cum uſu obtinerent, ſumma concordia & æqualitate veteres Germanos vixiſſe neceſſe eſt. Opum enim inæqualitas multarum litium cauſa. Sed poſtquam mortales à veteri iuſtitiæ cæterarumque virtutum tramite paulatim deflexerunt, atque alter alterius poſſeſſionibus immineret, ſi talis ſpecies communionis uſum haberet, diſcordiarum ſeminibus infinitiſque litibus cunctæ admodum Reſp. concuterentur. Malitia itaque hominum

num diſtinctionem dominiorum introduxit. Nullus autem apud illos auro argentoq; honos, quãdiu opulẽtarum gentium cõmercio non fuere contaminati. Iidem moribus tetrici, auſteri, donec poſterior ætas longe alios mores admiſit. Nam, ut Tacitus autor eſt, iam ſuo tempore muneribus capiebantur. Gaudent, inquit, præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo à ſingulis ſed publice mittuntur, electi equi, magna arma, phaleræ, torqueſque. Iam & pecuniam accipere docuimus. Claudianus erecti ſpiritus poeta pecunia Romanis quietem vendidiſſe alibi teſtatur, cum inquit,

Illi terribiles, quibus otia vendere ſemper
Mos erat, & fœda requiem mercede paciſci.

Nummorum aſperitas facile aſperitatem vitæ ſuperavit. Non diffi-

difficulter abripiuntur mortalium mentes ad ea quæ ſibi uſui futura vident. Pecunia Regina eſt melioris vitæ, cui cuncta obediunt, & qui illam habet, cuncta habere exiſtimatur. Non tamen ita aurum arripuerunt, ut eodem victi ſint, ut luxu diffluerent, ut ab armis ad ignavam quietem deſciſcerent, & potius cum vitiis quam cum hoſte pugnarent, ſed ſemper alacres, vegeti, laborum patiẽtes, adeo ut in ipſo otio militare viderentur. Maxima itidem apud Germanos matrimoniorum fuit ſanctitas & religio, adulterioque maculaſſe torum, ut inauditũ fere, ita capitale fuit. Uti autem vini intemperantiores ſemper habiti, ita nunquam in Venerem putres fuere. Serotina & olim & hodie apud eos coniugia, & ut Tacitus loquitur, prope ſoli Barbarorum ſingulis uxoribus contenti fuere. Etiam intra

vigeſi-

vigeſimum ætatis annum mulierem attigiſſe probro habitum. Recte Ariſtot. lib. 7. Politicorum ſeriora maſculorum coniugia impenſe laudat. Nam qui immature ad ea animum accingunt, diſſolvuntur corpora eorum, atque ſenectutem præpropere ſibi comparant. Quinet ipſius rationis divinus uſus, ſi ita loqui fas ſit, etiam reſolvitur, & corporis ſui imbecillitatem ſequitur. Immortalitatis enim ipſa ſedes à mortali ut plurimum cæno inficitur. Accedit quod imbecilles imperfectique fœtus generantur, qui cum morbis aliiſque ſymptomatibus perpetuo cõflictantur. Tradit Ariſtoteles, Trœzenios, cũ plurimi inter eos è medio tollerentur, cõſuluiſſe oraculum, reſponſum, fructus illos immaturos percipere. Contra ii, quos ſerior Venus in lucem traxit, & corporis robore atque animi vigore ut plurimum

rimum plus valent. Qui utiles
demum cives bene conſtitutæ
Reip. Recte de moribus Germa-
norum Cæſar dixit, Qui diutiſſi-
me impuberes permanſerunt,
maximam inter ſuos ferunt lau-
dem. Hoc ali ſtaturam, ali hoc vi-
res, nervoſque confirmari pu-
tant. In nuptiis porro nullã dotẽ
mulier marito offerebat, ſed ma-
ritus mulieri. Exiſtimabãt enim,
id demum viri officium, fortu-
nam non accipere, ſed afferre. Ita
facilius auctoritatem ſibi mari-
tum conſervare. Qui dotem ac-
cipit, imperium vendidit. Quæ
indotata eſt, ea eſt in poteſtate vi-
ri. Quinet cum nulla ratio dotis
haberetur, amore potiſſimum
conglutinabantur animi. Hinc
mutuæ querelæ & diſcordiæ con-
iugales Deos non violabant.
Hinc omnium diſcriminum mor-
tiſque ſocii. Vnde Tacitus: me-
moriæ proditur, quaſdam acies
incli-

inclinantes iam & labantes à fœminis reſtitutas conſtantiâ precum & obiectu pectorum, & monſtrata cominus captivitate. Quam longe impatientius fœminarum ſuarum nomine timent: adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obſides puellæ quoque nobiles imperantur. Porro traditum eſt ab Ariſtotele lib. VII. Polit. Germanos ex conſuetudine infantes, ſimul ac editi ſunt, frigido flumini immerſiſſe. Ipſe quoque Galenus lib. primo de ſanitate tuenda eodem modo ſuo tempore Germanos de naturæ vigore periculum feciſſe teſtatur. Quod, etſi periculum vitæ immineat, ad robur & ſanitatem multum conducere ab iiſdem traditum eſt: ſicuti enim arbores duriores quæ Aquiloni oppoſitæ, quam quæ auſtrum ſpectant, ita frigus quoque compactiora corpora homi-

nibus

nibus exhibet. Calore diſſolvuntur corpora & veluti liqueſcunt, frigore roborãtur, dum calor externus ad centrum ſuum interius redigitur. Recte alibi Virgilius,

Durum à ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus & undis.

Illud admirandum quod à Iuliano Cæſare traditum eſt in Epiſt. ad Maximum; Germanos Rheno flumini commiſiſſe ſuos infantes, ut inde colligerent ſpuriine eſſent an genuini. Quippe Rhenus, ſi fides antiquis adhibenda, ſpurios vorticibus undarum abripiebat, legitimos in ſumma veluti aqua ſuſpendebat. Ego quidem, ut ingenue loquar, ſicuti antiquitatis admirator maximus ſum, ita illorum quoque numerum ſequor, qui non temere quæcunque ab antiquis tradita ſunt ad-

T mittunt

mittũt. Illud tamen conſtãter ab omni fere antiquitate traditum. Idem enim in Epigrammate gręco, idem à Naſianzeno, à Nonno, à Theophylacto, ab Euſtathio in Dionyſium Alexandrinum memoriæ proditum eſt. Quos omnes falſitatis inſimulare imprudentis videtur. Quinet ipſe Claudianus in Ruffinum lib. 3. ita loquitur:

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Quis item credat Hunnos Germaniæ populos, quorũ ferociam Sidonius in Panegyrico quẽ Anthemio Cæſari dicavit, & Claudianus lib. primo in Rufinum eleganter depinxerunt, ubi infantes aerem vitalẽ primum hauſerant, illorũ genas novacula laceraviſſe, quo poſtmodum Marti ſuo devoti vulnerum dolores contemnerent & facile tolelarent? Si in eiulatus diſſolverentur, occi-

diſſe

diſſe tanquam adulterinos & degeneres? Audi tamen Apollinarem,

Vulnera vel ſi quis pangit, cui fleſſe perire eſt,
Ac ferro peraraſſe genas, vultuque minaci
Rubra cicatricum veſtigia defodiſſe.

Tota itaq, facies cicatricibus ſulcata erat, atq; hinc imberbes. Illud quoq; inuſitatū cæteris gentibus Cæſar lib. VI. Belli Gallici tradidit. In reliquis, inquit, vitæ inſtitutis hoc fere ab reliquis differunt, quod ſuos liberos, niſi cum adoleverint ut munus militiæ ſuſtinere poſſint, palam ad ſe adire non patiantur: filiumque in ætate puerili in publico, in conſpectu patris aſſiſtere turpe ducunt. Sicuti Gallis, ita idem Germanis uſitatum fuiſſe ex Tacito recte colligitur. Quinet hodie nulla gens æque patriam ſe-

 veri-

veritatem colit, quam Germanorum. Nam neque impuberes eidem cum patre convivio adhibentur; quinetiam filium patris latus claudere etiam nuper turpe habitum. Atque ita reverentia parentum in impuberum, dein adultorum animis radices ſuas agit. Nam & ipſe adſpectus horror pro imperio habetur. Et revera ex nulla re peiores liberi evadunt, quam ex indulgentia & lenitate parentum. Quam contemptus primo ſequitur, dein omni autoritate colliſa animi ſui libidinem pro lege ponunt. Quinet ea, quæ tenera molliſque illa & cerea ætas arripuit, difficillime mutantur, ſed in ætatem adultam abeunt. Adeo à teneris aſſueſcere multum eſt. Interea ad virtutem, præcipue autem militarem exercebantur. Seneca de Ira: Germanis quid animoſius, quid ad incurſus acrius? quid armo-

armorum cupidius? quibus inᷣnaſcuntur, innutriunturq;. Porro hęredes proximi erãt liberi ab inteſtato, & ſanguinẽ propiores. Ius autem primogenituræ apud eos obſervabatur. Cuius antiqui iuris multa adhuc extant veſtigia. Nam & feuda ut plurimum maximis natu cedunt, & hodieque apud Britannos ſolus primogenitus in omnem hæreditatem ſuccedit. Britannos autem Germanicæ originis ipſa dialectus ſatis evincit. Quinetiam antiquitus quam late ſe Gallia, Hiſpania, Illyricum, Inſulæ Britannicæ extendebant, Celtarum nomine, qui & Germani antiquis, veniunt. Tanta autem apud Germanos ſanguinis familięque erat neceſſitudo, ut inimicitias amicitiaſque propinquorum ſuſcipere, neceſſe fuerit. Unde Tacitus: quodque præcipuum fortitudinis incitamentum eſt, non caſus nec for-

tuita cõglobatio turmam aut cuneum facit, ſed familię & propinquitates. Tales turmas cuneoſque ex conſanguineis & vicinis pleræque hodie Batavorum urbes agnoſcunt, excedente omnem memoriam inſtituto. Et ante ſæculum unum & alterum familiarum quoque fatales ſæpe exarſere inimicitiæ. Porro ipſum Germanorum regimen ad optimatum potiſſimum ſtatum acceſſiſſe ex Tacito liquet. Quamvis & ſua populo eſſet autoritas. Licet enim regum Germanorum etiam apud antiquos mentio ſit, eos tamen magis autoritatem ſuadendi quam iubendi poteſtatem habuiſſe perſpicuum eſt. Reges autem, ut Tacitus loquitur, ex nobilitate, Duces ex virtute eligebantur. Quos ſcuto impoſitos more gentis & ſuſtinentium humeris vibratos eligebant. Quem quidem

morem

morẽ etiam vetuſto Comitũ noſtrorũ tẽpore in uſu fuiſſe, publica Bataviæ monumenta docent. Singuli autẽ pagi, nullas enim urbes Germanos habuiſſe ſupra demonſtravimus, à Principibus ſuis ius accipiebant. Quibus viritim vel armenta vel fruges honoris cauſa offerre ſoliti. Hinc in Germania ius decimarum, quod non profluxiſſe ex antiquo Eccleſiaſtico beneficio, ſed ibidem ſemper etiam vetuſtiſſimis temporibus uſitatum fuiſſe, Hugo Grotius lib. 2. Iuriſp. Holl. c. 45. egregie obſervavit. Ea cum eſſet principum reverentia, recte tamen Iul. Cæſar dixit talia fuiſſe illorum imperia, ut non minus haberet iuris in ſe multitudo, quam ipſi in multitudinem. Sicuti autem plurimæ familiæ factionibus ardebant, ita ſingulæ principem aliquem eligebant, penes quem ſummum arbitrium iudi-

ciũq; eſſet. Hi Ambacti ſive clientes populari lingua appellabãtur. Quod eius rei cauſa inſtitutum antiquitus Cęſar tradidit, ne quis ex plebe contra potentiores auxilii egeret: ſuos enim opprimi quiſque & circumveniri non patiebatur, neq;, ſecus ſi faceret, ullã in ſuos habebat autoritatem. Quicunq; autẽ clientelæ ſe alicui addixerant, omnis fortunę neceſſario ſocii erant, ſicuti ex plurimis locis Taciti apparet. Addit Iul. Cæſar, in hos eadem iura fuiſſe quæ dominis in ſervos. Præterea duplex apud eos fuit concilium, maius & minus. Minores res domi in ſuo quiſque Princeps pago tranſigebat, cui centeni ex plebe comites adiecti erant. Si negotia maiora inciderent, pagorum vicorumque Principes cum plebe congregabantur. De quibus convẽtibus Tacitus: coëunt, niſi quid fortuitum & ſubitum

inciderit, certis diebus; cum aut inchoatur luna aut impletur. Nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt. Illud ex libertate vitium, quod non ſimul & ſemel, ſed alter & tertius dies cunctatione coëuntium abſumitur. Plerunque autem in conviviis conſultare ſoliti, dum ſecreta pectoris patent: conſtituunt autem dum errare nequeunt. Quod aliis item gentibus præcipue autem Perſis uſitatum quoque fuiſſe ex antiquorum monumentis liquet. De Perſis ita Maximus Tyrius Diſſertat. XII. deliberare in conviviis Perſæ, ſicut in concionibus Athenienſes ſolebant. Cum enim per legem inebriari nefas eſſet, modicus vini uſus, non aliter quam oleum igni infuſum, animos eorum excitabat; ut nec ardorem eorum penitus extinguereret, nec ultra quam neceſſe eſſet

accenderet. In hoc autem concilio maiori de reconciliandis potiſſimum inimicis agebatur, iungendis affinitatibus, de aſciſcendis Principibus, de pace denique ac bello. Etiam diſcrimen capitis ibidem intendebatur. In criminibus autem puniendis duo hic occurrunt ſingularia. Ignavos enim & imbelles cœno ac palude, iniecta inſuper crate mergere ſoliti. Ita & ultimi ſupplicii metus eos ad virtutem militarem cogebat. Quando enim moriendum eſt, quis non potius glorioſam quam infamem ſibi mortem exoptet? Cum ignavia extremum mereatur ſupplicium, quis non ſimulatam ſibi aſſumet fortitudinem, ut vitæ ſuæ ſpiritum conſervet? Illud quoque ſingulare quod de pœna adulteriorum tradit Tacitus: Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria. Quorum pœna præſens & maritis permiſſa.

Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo, ac per omnē vicū verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. Quē morem ex parte etiam poſterioribus tēporibus in Germania uſitatum fuiſſe Bonifacius Archiepiſcopus, qui circa annum octingēteſimum vixit, in Epiſtola quadam prodidit. In antiqua, inquit, Saxonia, ubi nulla Chriſti cognitio, ſi virgo in maternâ domo & maritata ſub coniuge ſit adulterata: manu propria ſtrangulatam cremant: vel cingulo tenus veſtibus abſciſſis, flagellant eam caſtæ matronæ, & de villa in villam miſſæ occurrunt novæ flagellantes, & cultellis pungunt donec interimant. Si leviora quæ crimina eſſent, mulcta regi, vel civitati vel propinquis ſolvebatur. Sed & ipſum homicidium ita ſæpe luebatur, recipiebatque ſatisfactionem univerſa do-

mus. Quod eo excuſatius erat, quia non conſulto ſed cæco plerunque fortunæ impetu homicidia committerentur. Utique barbarus ille mos in quibuſdam adhuc Germaniæ Sarmatiæque locis adhuc durat, pręcipue ſi nobilis plebeium occidat. Propinquis enim à cõſanguineis mulcta perſolvitur. Porro de illorum militia antiqua, & quæ Francorum tempore in uſu fuit, audire Tacitum & Agathiam libro ſecundo operæpretium eſt. Ita quidem Politicorum primus loquitur: Rari gladiis, aut maioribus lanceis utuntur. Haſtas, vel ipſorum vocabulo frameas gerunt, anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent. & eques quidem ſcuto frameaque contentus eſt. Pedites & miſſilia ſpargunt, pluraque ſinguli, atque

in immenſum vibrant, nudi aut ſagulo leves. Nulla cultus iacta-tio: ſcuta tantum lectiſſimis coloribus diſtinguunt. paucis loricæ: vix uni alterive caſſis, aut galea. Equi non formâ, non velocitate conſpicui. Sed nec variare gyros in morem noſtrum docentur. In rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo poſterior ſit. In univerſum æſtimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti præliantur, aptâ & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute dilectos ante aciem locant. Definitur & numerus: centeni ex ſingulis pagis ſunt: idque ipſum inter ſuos vocantur: & quod primo numerus fuit, iam nomen & honor eſt. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rurſus inſtes, conſilii quam formidinis arbitrantur. Corpora,

ſuorum etiam in dubiis prælii
referunt. Scutum reliquiſſe præcipuum flagitium. nec aut ſacris
adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas. Multique ſuperſtites bellorum, infamiam laqueo
finierunt. Reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumũt. Franci porro
labentibus ſæculis præcipui fuere
Germanorũ: de quorum militia
ita loquitur Agathias: Huic nationi, inquit, tenuis eſt & neglectior armatura, & quæ non varia ad ornatum indigeat opificum arte, niſi eorum qui ea utuntur, ſi quid forte, ut fit, corrumpatur. Non enim thoraces
hi vel ocreas norunt. Pleriſque
in bello detecta ſunt capita, perpauci caſſide operti armis decernunt, ſed pectore nudato & tergis ad infimos renes, amiculo
præterea lineo partim, partim è
corio ſuccincti, & tibias contegunt. Equis haudquaquam utuntur

tur præter paucos admodum, ut qui patrio more pedeſtri in pugna coaluerunt, itaque exerciti egregie ſunt. Enſis à femore lęvo, ex latere ſcutum dependet. Arcus, funda, & tormenta eiuſmodi cætera, tela ſaxave torquentia, inſueta his ſunt. Sed dolabras ſecureſve ancipites geſtant, & brevia pro patria conſuetudine tela, quæ ipſi Ancones ſua lingua vocant, & quibus res magnas quum opus eſt gerunt, ac tunc præſertim quum pede collato decertant, aut in hoſtem incurrunt. Huius teli pars maior ferro obducta eſt, ita ut ex haſta parum aliquid præter capulum totum vix proferatur. In ſuperiori autem parte circa ferri aciem ipſam, recurvæ extant utrimque tanquam hami, laminulæ quædam coarcuatæ peracutæque, & ad ipſius teli partem inferiorem devergunt. Id teli genus

genus in ipſo congreſſu emittunt, ita ut ſi altius forte inhęſerit corpori, ſubeat mox, uti par eſt, & acies ipſa hamata, unde nec qui vulnus exceperit, nec alius quiſpiam queat id telum avellere. Urget nanque recurva acies illa, cervici latius hærens, doloreſque affert acerbiores, atque adeo, etſi non alias hoſtis letali ſit vulnere ictus, ex eo tamen emoritur. Quod ſi impactum clypeo telum id fuerit, ex eo mox pendulum hæret, & circumfertur, per ſolumque trahitur. Unde ea eſt Francorum conſuetudo, ut ubi affixum ſcuto telum id viderint, impetu facto ac pede capulo conculcato, hoſtis ſcutum umbone quaſſatum perfringant. Quo fit ut & geſtantis manu depreſſa, caput illi nudetur & pectus. Hoc pacto hoſtem quis nactus nulla parte munitum, ſive frontem ſecuri percutiat, ſive gulam

lã ferro trajiciat, cõfeſtim obtrũcat. Hactenus Agathias. Germanos porro antiquitus cũ in aciẽ erũperent incõdito murmure carmina ſua iactaſſe Tacitus autor eſt. Cantilenis atq; Poëſi addictos fuiſſe varia evincunt monumẽta, quæ Olaus Wormius diligẽs antiquitatis perſcrutator Runicis literis exarata in lucem protraxit. Alioquin & cornua apud eoſdem rauco ſtrepuiſſe cantu exploratum eſt. Quorũ concentus quanto erat vehementior, tanto acrius accendebantur. Ipſos autem Belli duces cornibus cecinisſe priſcæ Iſlandorum cantilenæ de cornu Rolandi Caroli Magni ex ſorore nepotis, qui in bello contra Saracenos anno DCCLXXVIII. occubuit, oſtendunt. Præterea ut hoſti terrorem iniicerent, galeis inſculpebant figuras terribiles animalium, criſtas erigebant, atque ita pleno impetu in hoſtem rue-

ruebant. Audi hic Plutarchum in Mario : κράνη μὲν εἰκασμένα θηρίων φοβερῶν φάσμασι καὶ προτομαῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντες, ἃς ἐπαιρόμενοι λόφοις πτερωτοῖς ἐς ὕψος ἐφαίνοντο μείζους. id eſt, galeas habentes quæ referebant terribilium animalium rictus, atque effigies peculiares , quarum cacumen pennatis criſtis attollebant, ut corpore maiores viderentur. Idem fere de Gallis Diodorus Siculus commemorat, qui cornua quoque galeæ appoſita refert. Quod Plutarchus quoque exactiſſimus autor de galea Pyrrhi Epirotarum regis teſtatur. Hinc inſignia nobilitatis originem accepiſſe dubium non eſt. Erecta enim galea ſignúm primæ nobilitatis: quibuſdam quoque inſignibus cornua ex antiquo ritu addi, rerum periti non ignorant. Apud Romanos quoque fortium virorum ſcuta picta, inertium pura fuiſſe, Servius ad lib.

VII. Æneidos docuit. Virgilius quoque Poëtarum princeps ad tirocinium alibi ſpectavit, cum dicit,

Enſe levis nudo parmâque inglorius albâ.

Hinc & clypeo efferri, ſummus habitus ducum honor. Virgilius iterum lib. X. Æneid. hoc oſtendit:

-- At ſocii multo gemitu lachrymiſque
Impoſitum ſcuto referunt Palanta frequentes.

Hæc eſt igitur illa Germania, quam fruſtra Iulius Cæſar ingreſſus cum exercitu, ponte, quem trans Rhenum traiecerat, inciſo retrocedere coactus fuit: quam quidem D. Auguſtus in honorem patris ſui in provinciam redigere conatus eſt, atque illa belli alea Druſo fœliciter primo ceſſit, ſed per Vari Quintilii ſuperbiam libidinemque fortuna iterum mu-

tata eſt. Druſus Germanicus Uſipetes, Tenchteros, Cattos, fortiſſimos populos domuit, exindeCheruſcos, Suevos, Sicambros, qui ſpe victoriæ tumidi iam prædam diviſerant antequam viciſſent, debellavit. Præſidia novæ provinciæ impoſita, Rhenus amnis plurimis propugnaculis aquas ſuas cum dolore ſubmiſit. Albi quoque, Viſurgi, Moſæ, inclytis Germaniæ fluminibus vincula iniecta. Ferociſſimæ gentes ſpiritus poſuêre, quæque antea ne pacis quidem nomen noverât, mitius ingenium à victore populo accepere: Imperare devictis populis, genium ſequi & iuxta gentium mores vela imperii obliquare, maioris artis eſt, quam devincere. Defuncto itaq; Druſo Vari Quintilii inſolentem dominationem libidinemque acrior Germanorum libertas tolerare nequivit. Duce itaque Arminio

minio in bellum erumpunt, Varum improvidum cædunt, tres legiones opprimunt. Neque ſanguine occiſorum furori Germanorum ſatisfactum eſt, in cadavera promiſcuè ſævitum, reciſa capita, oculorum orbes eruti, lacerata ora, evulſæ linguæ, manus amputatæ, conſulis interfecti corpus, quod telluris gremio tectum erat, effoſſum, contumeliiſque exceptum. Ita de Germaniâ retinendâ nulla amplius ſpes effulſit, ſed ſatis fuit eos à provinciis arceri, atque Fortuna in ripa Rheni ſtetit. Ibi acres ſemper velitationes extitere. Tradit Fl. Vopiſcus, cum poſt Aureliani Imperatoris mortem Galliæ Germanorum iugo ſubiectæ eſſent, ipſi ripam Rheni Romanam incurſionibus infeſtarent omnium rerum ſecuri, Probum Imperatorem ſexaginta nobiliſſimas Galliæ civitates recepiſſe, infinita

finita hominum millia Libitinæ conſecrata, cæſique exercitus reliquias ultra Nicrum atque Albim repuliſſe. Quod inter poſteriores quoque Cæſares inſigni Germanorum clade factitaſſe Gratianum Imperatorem Auſonius luculento de Moſella carmine teſtatur. Quinet trans fontem Danubii pulſos idem cecinit. Gratulatur enim Valentiniano & Gratiano Augg. hoc verſu:

Danubius penitus caput occultatus in oris
Totus ſub veſtra iã ditione fluo,
Qua gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidas qua ſeco Pannonias,
Et qua dives aquis Schythico ſolvo oſtia Ponto,
Omnia ſub veſtrum flumina mitto iugum.
Auguſto dabitur ſed proxima palma Valenti,

Inve-

Inveniet fontes hic quoque Nile tuos.

Ita ludente Fortuna ut Germani modo victores modo victi tandem labentibus annis ipſa imperii inſignia ad ſe traxerint. Etiam antiquioribus temporibus ipſam Romam veluti tributariam fuiſſe ſuperius ex Claudiano oſtendimus. Franci demum per Belgicam irruptione factâ, viciniſque undequaque gentibus oppreſſis, in eâ demum Galliæ parte conſederunt, quæ hodieque ab illis Franciæ nomen obtinet. Carolus demum Magnus, ſapientiæ magnum lumen, novumque belli fulmen, devictis domitiſque aliis gẽtibus, Italiam, rerũ quondam dominam, quæ per totum quondam terrarum orbem imperii ſui faſces mittebat, tunc vero à Lõgobardis oppreſſam, & quæ animam ægre traheret, libertati ſuæ reſtituit. Dum enim oriens

tumultibus ardebat, Italiamque negligerent Conſtantinopolitani Imperatores, alterum occidentis imperium ſub Carolo Principe iterum lacertos movit, & quaſi redditâ iuventute novum colorem & ſpeciem recepit. Atque ita fatali rerum ordine Imperium Romanum ad Germanos translatum. In qua gente ad hoc uſque tempus reſedit, & mirum dictu ipſa Roma limitibus Germaniæ clauditur. Quanquam hodie cuncta ruinam quandam præſagiant in florentiſſima quondam regionum Germaniâ, dum principes in contrarias factiones ſcinduntur, bellique faces exhauſere atque incendio ſuo involvere ampliſſimas regiones, fortiſſimæ gentes diuturnis civilibus diſſidiis tanquam longo morbo afflictæ ipsâ calamitate nobiles ſunt. Satiata eſt humano ſanguine terra, violentus ignis tot muni-

cipia in cinerem redegit, & veluti miniſterium ſuum recuſat, agri gemunt, atque ubi olim lætæ atque opimæ ſegetes ſurgebant, vineæ colebantur, horrida ſunt cuncta loliis, & ſpinis ſurgit paliurus acutis. Pacem, pacem, poſtulat terra, & decolor ſanguine Rhenus, efflagitant, obteſtantur miſeri mortales omnium egeni, paupertatis duriſſimæ aſſeclæ. Sanguineę Principum regumque lites tandem faceſſant. Tragici verbis hic concludere libet:

Si æterna ſemper odia mortales
gerant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma fœlix teneat, infœlix
paret;
Nihil relinquent bella: tum vaſtus ager
Squallebit arvis, ſubditâ tectis
face
Altus ſepultas obruet gentes cinis.

Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo neceſſe eſt.

Cap. X.
De Gallorum & Maſſilienſium veteri Rep.

TOta olim Gallia in tres partes diviſa, Togatam quæ & Ciſalpina & Alpibus Italiæque antiquo limite Rubicone flumine terminatur, Comatam quæ omnis tranſalpina Gallia, & iterum in Belgicam, Celticam, Aquitanicam dividitur; Braccatam denique, quæ erat Narbonenſis Romanorũ Provincia. Gallia antequam Romanis rerum Dominis cervicem ſubmiſit, partim optimatum imperio obnoxia, partim Regibus, ſed quorum poteſtas à populo fracta, obtemperabat. Omnes autem ſimul civitates ſingulis annis publico concilio de Reip. negotiis conſultabant.

bant. Magiſtratum civitatum annuum fuiſſe ex Iulio Cæſare lib. 1. Belli Gallici liquet. Divitiacus, inquit, & Liſco, ſummo magiſtratui præerant, quem Vergobretum appellant Ædui, qui creatur annuus, & vitæ neciſque poteſtatem habet. Atque illud fere Æduorum regimen fuit. Reges, qui nonnullis civitatibus præfuere, quibus obiectum Populi frenum, electos potiſſimum virtutis ratione habita ex Cæſare recte colligimus. Plurimos enim enumerat privatos, quorum maiores imperium obtinuerāt. Etiā Arioviſtum Germanum ab Arvernis Sequaniſque contra Æduos accerſitum idem autor eſt. Atque hinc ne peregrinis quidem inviderūt honoribus. Quippe cū non patria ſed virtute præſtantiſſimos quoſque mortales æſtimarent. Etſi magiſtratuum hic fere tenor eſſet, cuncta tamen pro libitu ſacerdo-

cerdotes, quos Druidas antiqui appellabant moderabātur. Sicuti enim Deorum immortalium curam gerebant, ſacrificia procurabant, religionis ſuæ myſteria interpretabantur, ita controverſias publicas & privatas definiebant, hæreditatum omniumque contractuum lites ſopiebant. Denique illorum autoritas cunctis fere negotiis ſe immiſcebat. Unde Dio Pruſęus: Celtę habuere Druides divinationis ſapientiæque ſtudioſos, ſine quibus nihil eſt licitum Regibus facere aut conſulere, ita ut ſi quis penitus rem conſideret illi regnent, reges autem ſint ſententiæ adminiſtri & ſervi. Neque tantum autoritas, ſed penes illos ſtabat etiam omnis eruditio. Illi ſiderum obliquos flexus, Deorum vim ac poteſtatem, naturæ arcana, animarum immortalitatem ſoli mētis ſuæ complectebantur radiis.

Quinet ipſe M. Tullius Cicero lib. 1. de Divinatione, naturæ maximum myſtam Divitiacum Æduum, qui unus ex Druidum grege erat, ſummopere extollit. Quibus ſacris qui initiati erant, ingentem numerum verſuum memoriæ mandari ſoliti; quibus tota illorum comprehendebatur eruditio. Id autem eâ de causâ inſtituiſſe Cæſar tradidit, quod neque in vulgus efferri diſciplinam velint, neque eos qui diſcunt literis confiſos minus memoriæ ſtudere, quod fere pleriſque accidit, ut præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo remittant. Sicuti penes Druides ſumma autoritas, ita penes equites tota cōſiſtebat militia. Quos ambacti clienteſq; ſequebātur. Illos potentiorum familiis ſe addicere, ne ab aliis opprimerentur, ſolitos, ſupra cū de Germanorum inſtitutis agerem, docui. Nam in ſingu-

ſingulis fere Gallorum civitatibus; pagis, familiis, perpetuæ contentiones factioneſque inveniebantur. Qui principem ſibi eligere ſoliti, penes quem ſumma omnium conſiliorum reſideret. Prout itaque quiſque genere & potētia valebat, plurimos circum ſe clientes habebat, qui Fortunam domini proſperam vel adverſam ſequebantur. Eoſdem & ſoldurios Cæſar lib. 3. vocavit, cum dicit: Adcantuanus cum ſexcentis devotis, quos illi ſoldurios appellant: quorum hæc eſt conditio ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dederint. Si quid iis per vim accidat, aut eundem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſciſcant. Neque adhuc hominum memoria repertus eſt quiſpiam, qui eo interfecto, cuius ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret. Hinc autem

tem iura antiqua Feudorum originem ſuam accepiſſe, cum cura alibi monuimus. Leges autem veterum Gallorum Germanorum inſtitutis vicinas fuiſſe non dubito. Quod de hominum ſacrificiis memoratur, omnem horrorem excedit, niſi quod ii potiſſimum immolarentur, quos vitæ anteactæ turpitudo, ſcelerumque cumulus, ad extremum relegabat ſupplicium. Sicuti autem communio bonorum veterum Germanorum legibus inſtituta, ita & Gallorum. Quæ naturali maxime ratione nititur. Cum enim corporis ſit mixtio, quidni & bonorum? omnis æqualitas mater concordiæ. Sicuti enim vincula alternis nexibus robur mutuo accipiunt, ita rerum communio coniugii robur alit & confirmat, amorem conglutinat, & benevolentiam quotidie auget. Quod egregie deducit omnis eru-

eruditionis vaſtus ille Oceanus Plutarchus in Præceptis coniugalibus. Quamvis autem Iure civili aliter ſtatutum, antiquiſſimis tamen temporibus lege Romuli etiam communionem omnium rerum in uſu fuiſſe Dionyſius Halycarnaſſæus lib. 2. tradidit. De Gallorum autem inſtituto egregie Iulius Cæſar lib. VI. Bell. Gall. Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta, cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniæ coniunctim ratio habetur fructuſque ſervantur, uter eorum vita ſuperarit, ad eum pars utriuſque cum fructibus ſuperiorum temporum pervenit. Idem autor eſt, habuiſſe eos in uxores liberoſque ius vitæ & necis. De coniugibus inauditum; in liberos Romanos antiquitus ius quoque vitæ & necis habuiſſe ſatis conſtat. Quam poteſtatem

teſtatem Bodinus lib. 1. de Rep. c. 4. multum extollit, & in Chriſtianum orbem reduci oportere ſtatuit. Nunquid igitur in proprium ſanguinẽ ſæviendi jus dabitur? Dicat aliquis, pietas paterna nihil ſine gravi cauſa agit. Utique hoc verum, ſed numquid non & illa affectibus ita abripi poteſt, ut immerito filium occidat? Iracundiæ impetus nullum ſibi iniicit frenum, ubi cuncta in liberos licent. Etiam propter peregrinos mores orbitatem non neminem ſibi conſciviſſe non inauditum eſt in veterum hiſtoriis. Et quid non agat paupertatis graviſſimus aculeus, ſi indicta cauſa parentibus cuncta licerent? Aliud eſſe imperium in uxorem & liberos quam herile, quam tyrannicum, egregie maximus veri indagator Ariſtoteles in Politicis docuit. Atqui, dicat aliquis, lege Moſaica ex ſola patris delatione

 ad ma-

ad magiſtratum, filius tanquam contumax occidebatur. Utique hoc recte. Nullus enim hic inſidiis locus erat, neque affectuum urgebat impetus, etiam cauſæ addebantur, quibus tum ſimpliciter ſine ullo examine credebat magiſtratus. Patria utique poteſtas à natura eſt, ſed quæ in pietate, non in rigore conſiſtat. Patris eſt, effuſum eſſe amore, & quę eum ſequitur clementia, modicum ſeveritate. Amore quidem & ſeveritate aliquem proſequi difficillimæ artis eſt. Inde plerique patres vel in indulgentiam vel nimiam auſteritatem proclives. Severitas tamen magis laudatur, quam antiqui *Galli* ita coluerunt, ut filium in propatulo parentibus iungi turpe habitum ſit. Quod ſumus, quod vivimus, paternum beneficium eſt, & quod nullam compēſationem admittat. Quod ad matrem ſpectat, quid ipſa nutrimenta,

trimenta, quid infantium dulces iniuriæ? Cogente natura infantes ſumant de matre quod bibant: & non nato dente hoc ſibi currentibus labris eliciunt, quod non ſit neceſſe mordere, inquit Hieronymus. Sed ad rem. Porro Galli cum indicturi erāt bellum, armatum concilium conſtituebatur. Addit vetus atque mirabile inſtitutum Iulius Cęſar lib. v. Bell. Gallic. quo, inquit in, (concilium nimirum) lege communi omnes puberes armati convenire coguntur, & qui ex iis noviſſimus venit, in conſpectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necatur. Addit idē, in acie eos, antequam ad prælium venirent, ſedere ſolitos. Illos autem ſicuti & Germanos falcatis curruum axibus in bello uſos, & ex curribus equiſque potiſſimum pugnaſſe Pomponius Mela tradidit. Militum quoque genus habuiſſe,
 quo-

quos antiqui Crupellarios appellabãt. Tacitus lib.3. Annalium memoriæ reliquit. Quibus more gentis continuum ferri tegimen, inferẽdis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Ultimo hoc addendũ, myrmillones, quos apud Romanos gladiatores fuiſſe notum eſt, nomen etiam atque antiquitatem Gallis debere. Commentator enim antiquus ad Sat. 8. Iuven. ubi Poëta ita loquitur, nec myrmillonis in armis, nec clypeo Gracchum pugnantẽ aut falce ſupina, nec galea faciem abſcondit, ibi commentator, Myrmillo armaturæ Gallicæ nomen, ex piſce inditum, cuius imago in galea fingitur. Quem piſcem hodie quoque eodem fere nomine appellari Gyllius ſcribit, & difficillime capi, quod ſe cœno immergere ſolitus ſit. Atque hinc quoque Retiarius qui Myrmilloni opponebatur,
dicere

dicere ſolitus fuit, cum ſe abſconderet, te non peto, piſcem peto. Sed hoc utique monuiſſe ſufficit, cætera iis relinquimus qui antiquitates penitius indagare ſoliti. Hæc fere in universũ de Gallorũ legibus atque inſtitutis tradidere veteres. Cæterum ubi poſtea Iulius Cæſar totam Galliam in provinciæ formam redegit, ſicuti victi victorum imperia ſequuntur, ita paulatim legibus moribuſque Principis populi aſſuevit, donec fatiſcente atque languente imperio, Francorum iugum ſenſit, de quibus ſuo loco dicemus. Appendicis loco de antiquiſſima nobiliſſimaque Maſſilienſium Rep. quæ in Galliis ſita, ulterius ſermonem conſeremus. Antiquitas inde conſpicua, quod à profugis ex Ionia Phocenſibus, qui Cyri fugiebant imperium, urbem conditam idonei autores teſtantur. Cuius civita-

tis gravitatem, diſciplinam, frugalitatem, optimas denique leges, cunctis fere Græcis gentibus Princeps oratorum M. Tullius Cicero antepoſuit. Etiam ſtudiorum matrem, Romanæque iuventutis eruditricem, Tacitus & Strabo extollunt. Inter quos Tacitus memoriæ reliquit, Iulium Agricolam per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam adoleſcentiamq; Maſſiliæ tranſegiſſe, ſede & magiſtra ſtudiorum, loco Græca comitate & provinciali parcimonia miſto, ac bene compoſito. Atque hinc diu libertatem ſuam conſervavit, & amica ac ſocia Romanorum dicta fuit. Ne vero probati illorum mores inquinarentur, proſpexere quoque cordatiſſimi mortales. Itaque comœdiam omneſque adeo ſcenicos ludos Rep. ſua eiecerunt. Videbant enim, eam eſſe laſciviæ matrem, nequitiæ ma-

giſtram, omniumque malarum artium adminiſtram. Ubi quis aſſueſcit audiendis ſceleribus, ſceleratus tandem evadit. Facillime in mortalium animos irrepunt vitia, etiam ea quæ quis antea deriſerit. Quia enim eorum imago diu menti inhæret, tandem ipſam arcem rationis offuſcat, denique etiam ſuperat. Maxima quidem apud Romanos Græcoſq; illorum ludorum fuit licentia, Romæ tamen etiam actores infames habitos conſtat. Utique Auguſtinus lib. 2. de Civ. Dei cap. 13. artem ludicram ſcenicamque non tantum probro habitam docet, ſed genus id hominum non modo civium numero ſed & tribu motos à Cenſoribus tradidit. Profecto hiſtriones perditiſſimis fuiſſe moribus deploratæque nequitiæ neceſſe eſt, cum in ea civitate pro civibus non haberentur, cuius

tam multa millia hominum flagitioſorũ cives erãt. Etiam in Iure civili expreſſę de infamia ſcenicorum leges in tit. ff. de his qui notantur infamia. Præterea ſicuti videbant religionem fulcrum alterum eſſe Reip. ita omnem ſuperſtitionem in exilium miſere, præſertim ſi eo fuco ignavia atqua inertia tegeretur. Superſtitionem enim fere rerũ novitas ſequitur, novitatem Reip. mutatio. Atque eadẽ ubi cæcũ credulũq; vulgus ad ſe traxit, ſacra denique & profana plebes miſcet, quo ſuã plerunque male compoſitam fulciat opinionem. Omnis adeo mutatio quæcunque religionis à Politico inhibenda, niſi ubi neceſſaria, ubi Deus immortalis præcipit. Quinet legum antiquitas, etſi ſua ſecum ferat incommoda, nõ facile loco moveri debet, quia qualiſcunque antiquitas admirationi & venerationi eſſe ſolet,

novitas etſi utilis ut plurimum contemnitur. Quod exactius Maſſilienſes in rebus quoque minimis obſervarunt. Valerius enim Maximus tradidit ſuo tẽpore gladium ſuperfuiſſe rubigine fere cõſumptum, quo à condita uſqũ urbe in noxiorum ſuppliciis uſi fuerant. Vetitum quoque eorum legibus telo gladioque accinctum urbem ingredi, traditum eſt, ne confluxus armatorum advenarum aliquando civitati inſidias ſtrueret., periculumque exhiberet. Quippe mercatura nobilis, & in litore Galliæ ad mare mediterraneum poſita, peregrinorum maximum numerum ut plurimum tenebat. Illud utique cordati, non tantum ſe adverſus pręſentem violentiam defendere, verum & imminentia pericula prudenter avertere. Luxum itidem omnem Maſſilienſes extirparunt, mulierumque inſolẽtes ſumptus

exſciderunt. Dos enim iis maxima aurei centum, nec ultra quinque in veſtitum, totidemque in mundum muliebrem, ſicuti à Strabone accuratiſſimo geographo memoriæ proditum eſt. Videbant enim, luxum, præcipue muliebrem molliciem, mores ſæpe optimos civitatum inquinare. Quippe ſicut ignis fomenta arida deſiderat, ita luxus opes. Ubi divitiarum ſitis aliquem torquet, reverentia legum excutitur, metus & pudor exulant, denique cuncta miſcentur. Quando ſummum cenſus pretium eſt effundere cenſum, quocunque modo per fas & nefas habere oportet. Unde omnes qui luxui & prodigalitati ſe mancipant, etiam avari ſunt. Recte enim alibi Poëta, quærere ut abſumant, abſumpta requirere certant, atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices. Quibus malis cordatiſſimus Maſſilienſium populus

pulus ſemper reſtitit. Unde miror quid Athenæo in mentem venerit qui lib. 12. Maſſilienſes luxus & mollicie iaccuſat. Ultimo memorabile inſtitutum, quod ab Athenienſibus hauſiſſe videntur, ex Valerio huc addendum eſt. Venenum cicuta temperatum in ea civitate publice cuſtoditur, quod datur ei qui cauſas ſexcentis, id enim ſenatus nomen eſt, exhibuit, propter quas mors ſit illi expetenda. Hæc florentiſſima Reſp. libera & ſocia Romanorum, dum bello civili Pompeio inconſultius favet, memorabili obſidione à Cæſare victa, multum prioris dignitatis amiſit, donec tandem ruente Rom. imperio idem fatum totius Galliæ ſecuta eſt.

CAP. XI.

De mutatione Reip. Gallicæ.

ANtiquam Gallorum, & ſeparatim Maſſilienſium Rēpublicam frugalitatis ideam, Romanæ iuventutis magiſtram ſuperius perluſtravimus. Illa autem utprimum domita à Iulio Cęſare, leges victoris Populi ſecuta diu quiete vixit. Prudenter autem Romani, ut ferociam fortiſſimæ gentis mollirent, ingenia illorum ad eruditionem conſtitutis oppidatim prȩmiis accēderunt. Gens enim Gallica natura mobilis, nunquam quieta, maximo impetu Maſſilienſium exemplo ea ſtudia arripuit, quibus humanum coli, mitigari, ſolet ingenium. Utique recte olim Saluſtius florentiſſimus autor iudicavit cum dicit: uſque ad noſtram memoriam Romani ſic habuere, alia

omnia virtuti ſuæ prona eſſe, cum Gallis pro ſalute non de gloria certari. Et Vopiſcus in Saturnino: Galli gens hominum inquietiſſima, & avida ſemper vel faciendi Principis vel imperii. Prudenter itaque à Romanis iniectum literarum certamen, à quo nullum Reipubl. imminebat periculum. Et repente maxima ingeniorum increbuit ſeges, & dicēdi magiſtri, ubi lacertos movere, etiam ipſa Roma obſtupuit. Ita ut verum ſit quod à Catone relatum Chariſius lib. 2. Originum tradidit: pleraque Gallia duas res induſtrioſiſſime perſequitur, rem militarem & argute loqui. Eadem autem fere forma Reip. fuit, uſque ad Honorii tempora. Tum demum ſub tutela Stiliconis ſubito retro ferri cæpere totius imperii Romani præcipue autem Gallorum regni ſtatus. Vandalorum enim, Burgundio-

gundionũ, Gothorum, aliarumque barbararum gentium colluvies florentiſſimum regnum protrivit. Donec Franci Burgundionum populo mixti totam ſui fecere iuris, & ad hoc uſque tempus rerum potiti. Tres autem principes numerantur familiæ, Merovingiorũ, Carolingiorum, & Capevingiorum, ex quo extremo ſtemmate illuſtriſſima Valeſiorum, Borboniorum, propago originem trahit. De Francorum antiquis ſedibus differendo moram hic nectere noſtri non eſt inſtituti, niſi quod eruditi cum Sicambris ut plurimum confundant. Illud utique certum, Francorum nomen ſub Gallieno Imperatore, qui vixit anno 253, primo innotuiſſe. Sicuti ex antiquo hiſtorico Trebellio Pollione recte colligimus. Francis autem per univerſam Galliam rerum potientibus veteres leges abolitæ,

novæ

novæ primum à Hlodoveo, Clotario, & labente tempore à Carolo Magno inſtitutæ. Antiquitus electos fuiſſe Francorũ Reges ex Aimonio apparet. Niſi quod inſignis nobilitas, familiæque merita id in animis hominum præſtitere, ne facile extra illam familiam ad alium Principem oculos flecterent. Quinet loco eos movere non inauditum eſt. Unde Reges Principeſque, omnem ingenii aciem eo intendebant, ut populo grati virtutibus munirentur, ſine quo ſatellitio fruſtra omnis eſſet poteſtas, cum imperium precario beneficio populi poſſiderent. Erroris itaque convincuntur nonnulli inter eruditos, cũ Carolum Magnum de ſucceſſione Regni Francici legem tuliſſe ferunt. Etſi enim diviſiſſe Regnum Franciæ teſtamento liberis verum ſit, acceſſit tamen optimatum populique

que libera voluntas. Vti à Reginone lib. Chronic. 2. proditum eſt. Inter leges patrias antiquas lex Salica, quæ à Saliis Francorum populis originem habere putatur, in omnium ore verſatur. Illa autem lex ita ſe habet: De terra Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota hæreditas perveniat. Ea lex, ubi de regni ſucceſſione contentio eſt, paſſim circumfertur. Sed recte annotavit Hotomannus, eam legem nihil minus quam ad regnum pertinere, quippe de privatis loquitur hæreditatibus. Merito tamen per conſuetudinem mulieres imperio arcentur. Recte Ariſtoteles Philoſophorum Princeps natura illud quod infirmum eſt potientiori cedere docuit. Mulier autem debilitatis veluti ſpectaculum eſt, affectuum ut plurimum miniſtra, inconſtans, iudicii

dicii inops, & inſolenter impe-rare conſueta. Porro reges re-gumque liberi ſoli ius habuere comam alendi. Vnde Franci, ſi quem ſolio dejicerent, capillis privabant. Solebant quoque mo-re inuſitato per tonſurã fieri ado-ptiones. De quo ritu Paulus Dia-conus lib. 6. c. 43. Carolus, in-quit, Francorum Princeps, filium ſuum Pipinum ad Luidprandum Longobardorum regem miſit, ut eius iuxta morem capillum ſuſci-peret. Qui ei cæſariem incidens pater effectus eſt: multiſque re-giis muneribus donatum genito-ri remiſit. Etiam adoptionem per arma in more fuiſſe ex eodẽ Dia-cono patet. Arma autem ſumere primus erat iuventę honos, ſicuti togã apud Romanos. Cuius moris etiã Tacitus in Germania memi-nit: arma, inquit, ſumere nõ ante cuiquã moris, quam civitas ſuffe-cturum probarit. Tum in ipſo cõ-

cilio vel Principũ aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto, frameaq; iuvenẽ ornat. Hęc apud illos toga, hic primus iuventæ honos: antehac domus pars videntur; mox Reipublicę. Sicut autem idẽ politiſſimus & terſiſſimus autor Caninefates Germanię populos hanc ſibi ſervaſſe cõſuetudinẽ commemorat, ut impoſitum ſcuto more gentis ſuſtinentium humeris vibratum ducem eligerent, ita idem Francis, idem etiam Batavis noſtris in uſu fuiſſe publica teſtantur monumenta. Porro à Rege ſecunda fuit poteſtas eius, qui Maior domus appellatur. Cuius autoritas in tantum paulatim evecta faſtigium, ut totam fere regiam dignitatem ad ſe traheret, dum rex vel ſocordiã vel inertia imperandi detrectaret onera. Qualis apud Romanos Pręfecti prætorio poteſtas fuit. Ducum quoque Comitumque

que ſecutus ſpleudor, qui pro tempore civitatibus integriſque præficiebantur provinciis. Etiam Tacitus & Notitia imperii limitum duces appellavit. Comites autem inde nomen, originemque accepere, quod cum apud Romanos magiſtratus in provinciam mitterentur, eos comitarentur. Qui cum mox civitatibus regionibuſq; præficerentur idem nomen retinuere. Hinc comes Africę, Italię, ſacrarum largitionum appellati ſunt, ut ex Codice Iuſtiniani apparet. Porro Francos optime compoſitas ſed paucas leges habuiſſe, ex antiquitate conſtat. Quippe non plurimæ leges bonos mores, bonum ius faciunt: ſed eæ, quæ, quamvis paucæ, fideliter tamen obſervantur. Acceſſere mox Francorum Regum ſingulatim & in primis Caroli Magni conſtitutiones. Illud itaque omnem fidem excedit,
 quod

quod rei veritatem ſæpe in iudiciis per aquam frigidam vel ferventem, aut etiam per candens ferrum explorare ſoliti fuerint. Si enim rei in profundũ aquæ ſe demitterẽt, abſolvebantur, ſi fluida elementi natura ingreſſum veluti prohiberet, damnabantur. Si candens ferrum illos non ureret, ab illo crimine, cuius accuſabantur, liberi erant. Quem morem etiam gẽtilibus, unde accepiſſe videntur, uſitatum invenio. Apud Sophoclem enim in Antigone nuncius, dum dictis fidem aſtruere cupit, ſe paratum dicit καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν καὶ πῦρ διέρπειν, id eſt, ignitum ferrum manibus prehendere, & ignem tranſire. Vide ſcholiaſtẽ antiquum in Sophoclis Antigonem, & Cyrillum adverſus Iulianum lib. x. Contra quem barbarum morem Caroli Magni temporibus ſcripſit Agobardus Lugdunenſis Epiſco-

piſcopus. Etiam apud Francos inter Principes & nobiles duello lites ſopire moris fuit. Inconſultum iudicabant, ſicuti Agathias Hiſtoricus refert, propter publica Principum diſſidia damnum pati privatorum patrimonia, & civium ſanguine diſcordias procerum luere. Ita quæ iure terminari nequibant, ſolita armis diſcerni. Quem morem quoque antiquis Germanis in uſu fuiſſe prçter Velleium Paterculum Tacitus ſcribit. Incerta hæc iudiciorum alea recte improbatur. Nam & robur corporis, lacertorumque firmitas, vel etiam cæca Fortuna hic dominatur. Etſi autem cuncta divina mens nutu ſuo dirigat, tamen neque ſemper extra ordinem ſuccurrit Deus immortalis. Et divinum illud numen, cuius maieſtas nullis limitibus clauditur, effuſo contra legem humano ſanguine, hoſtilique cruore

ſtillantem, in teſtimoniū vocare, etiam impium & ſceleratum eſt. Non quod omnia duella illicita, nam & ſacra pagina, quæ fons eſt omnis veritatis, Davidis cum Goliatho ſingulare admiſit certamen. Utique paſſim etiam inter privatos cauſarum pondus illorum eventu examinare ut illicitum, ita incertum. Alibi autem docuimus, illa recte ſuſcipi duella, quæ publica autoritate fulciuntur, ut cum miles permiſſu ducis cum milite hoſtis ob bonum publicum æquis legibus concernit. Vide Vaſq. lib. 1. contr. 40. & Alciat. cap. 3. de Duello. Præſagia ſæpe de belli eventu in eund m modum habuiſſe Germanos nulli dubiū eſt. Unde Tacitus de Germanis: Eſt & alia obſervatio auſpiciorum, qua gravium bellorū eventus explorant. Eius gentis, cum quâ bellum eſt, captivum quoquo modo inter-

ceptum

ceptum cum electo popularium ſuorum, patriis quemque armis, committunt. Victoria huius vel illius pro præiudicio accipitur. De militia non opus eſt in dicendo multum temporis perdere, cũ conſtet ex Tacito, Germanos, inter quos Franci nomen poſtea habuere; cæco magis impetu, quam prudenter aciem ſuam inſtituiſſe. Reſtat nunc ut obiter hodiernam quoque Galliæ Rep. luſtremus, utpote quæ ultra mille & ducentos annos regiam coluerit poteſtatem, Quam ut antiquitus electione cõſtitiſſe monuimus, ita hodie ſucceſſione perpetua atq; hæreditaria deferri nulli mortalium dubium eſt. Lege Salica, utputatur, ſolis regiũ diadema debetur maſculis. Unde ſæpe diſſidia in nervoserupere, ſed quę rurſus extincta. Præter ea autem quæ ſuperius commemoravimus, quantum incommodi ſecum tra-
 har

hat fœminarum imperium, etiam ita per coniugium ad externum Principem facile rerum ſumma delaberetur. Dum autem Princeps in incerto eſt, fluctuant ſubditorum animi, & facile ad res novas animum appellunt. Itaque ne ad externam familiam devolveretur imperium, ſolum maſculum ſanguinē proximum admiſere. Quippe exiſtimarunt, minori diſcrimine ſumi principē, quem & antiquę familiæ ſplendor & Gallica origo condecoret, quam ut forte per coniugii vinculum peregrinus princeps inviſum imperii nomen uſurpet. Regis olim poteſtas concilio ſupremo, quod Parlamentum vocant, multum frangebatur, cuius vis hodie imminuta maximum robur unius permiſit arbitrio. Regium nomen ſequitur dignitate proximus Delphinus & duodecim Galliæ Pares. Regis proximus hęres Delphinus appel-

appellatur, quod à Delphinatum Principe Vmberto originem traxiſſe proditum eſt. Univerſam enim is ditionem Philippo Valeſio ea conditione vendiderat, ut regni hæres Delphinus appellaretur. Ita quoque imperio deſignatos antiqui Principes iuventutis dixere. Pares Franciæ duodecim, quibus ius conſecrandi inaugurandique regis. Nobilitatis ſummus honos, ſolique fere ſupremæ patent dignitates. Virtutis tamen ſplendor, etiam cives, atque humili loco natos ad faſtigium honorum ſæpe extollit. Præſertim cum omnis fere nobilitas militiæ ſe addicat, facilius quoque cæteri emergunt, & iudicum ſenatorumque ordini vel eccleſiarum inſeruntur præfecturis. Ita inter omnes honeſtum de virtute certamen eſt, dum non tantum nobiles ſed & ipſi ex obſcuro vulgo ſpe honorum accen-

duntur. Et qui antiquo turgent ſtemmate, plenis paſſibus ad res gerendas ſe accingunt, ne virtute relicta contemnantur. Æqualitatis autem illa ſpecies, dum vulgo etiam honorũ gradus per virtutem patent, concordiam benevolentiãq; alit ac fovet. Obiicitur in hâc Rep. adverſa bonis moribus legibuſque munerum honorũq; publica licitatio. Hinc avaritia pullulat, fides, probitas iacet ubi cuncta venalia. Divitiarum ærugo animos mortalium penetrat, nulla virtutis ratio habetur, indigni promoventur, opprimuntur ii, quorum lares anguſti & ſpectata tamen probitas, jura legeſque pro animi arbitrio figuntur & refiguntur. Recte Alexander Severus, qui honores vendi prohibuit, neceſſe eſſe dixit, ut qui emit vendat. Rectius tamen ibi, ubi ex tali nundinatione compendium capit fiſcus,
neque

neque ea privatorum turgeſcunt patrimonia. Etiam illæ incidere poſſunt temporum difficultates; ut neceſſitas ærariique inopia urgeat. Sicuti Veſpaſianum Imp. feciſſe legimus, eademque ſæpe neceſſitate compulſos fuiſſe Gallorum reges Gaguinus commemorat. Sed tamen improbandum. Honeſtis enim exactionibus & tributis locus eſſe poterit. Principiſq; cordati eſt benevolētia populi ſe munire, atque arte quâdã plurimis modicis tributis opes fiſco colligere. Multæ enim mediocres exactiones æquant graviſſimũ tributum. Diſperſæque collectiones à populo non ita ſentiuntur. Illud quoque Gallis ſemper vitio datum eſt, quod antiquitus de Gallis Inſubribus poëtica elegantia teſtatur Florus: ſed experimento, inquit, deprehenſum eſt: quippe ſicut primus impetus eius maior quam virorum

rum

rum eſt, ita ſequens minor quam fœminarum. Alpina corpora humenti cœlo educata, habent quiddam ſimile nivibus ſuis, quę mox ut caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt, & levi motu quaſi ſole laxantur. Idem illis ingenium, eadem hodie natura. Animi enim illa alacritas igneuſque fervor poſt primũ impetum cadit languetque. Ubi victi, abiectiſſimi, ubi victores inſoleſcunt neque victoria uti norunt. Recte cordatiſſimi mortalium Romani maius artificium iudicarunt conſervare Provincias, quam ſuperare. Qua arte non ſemel deſtitutum Gallum fuiſſe novimus. Pręliis etiam quam cingendis urbibus, ubi mora trahi debet, aptiores. Illud quoq; improbat Seſelius quod rerũ maritimarum illis deſit peritia, quo munimento terrori eſſe poſſent cæteris gentibus, cum Oceano marique mediterra-

diterraneo cincti multum & facilius ſtabilire ſtatũ ſuum poſſent. Maritimis commoditatibus, Athenæ in immenſum crevere, Carthago ſuperba evaſit, gẽtium omniũ domina facta æternitatis illa ſedes Roma, neq; noſtræ res tantę eſſent, ſi navigationibus immenſas opes in hanc terræ ſpithamam non eructaſſet addictus nobis Oceanus.

CAP. XII.

De Rep. Batavorum. Et Iure Belli Belgici.

QUales fere Batavorum leges fuerint, difficiles coniecturæ, cum ſcriptæ non fuerint. Illud utique ad laudẽ facit, quod de Cattis, è quibus originem trahunt Batavi, tradit Cornelius Tacitus, plus ibi bonos mores valere quam alibi bonas leges. Inſtitutis autem ſuis penitius ſemper

per adhæſiſſe, variorum temporum collatio oſtendit. Nam hodieque vicinorum propinquorumque cunei, de quibus Tacitus, in uſu, nobilium familiarum hæreditariæ vindictæ, bonorum inter maritum & uxorem cõmunio, decimarũ iura antiquitus & nunc ferè eadem. Imperiũ Principes dilectiq; ex plebe etiã antiquitus ſtatuebant. Itaque de gravioribus cauſis indicto communi concilio deliberabatur. Unde apud Tacitum Civilis primores gentis & promptiſſimos ex vulgo ſpecie epularũ in ſacrum nemus vocavit. Cuius conſilio ſe in arma contra Romanos detruſit. Rurſus alibi ex placito populi petitum cum Romanis de pace colloquium. Summa itaque penes concilium ſemper fuit poteſtas. In eo labentibus tẽporibus Reip. diverſitas fuiſſe videtur, quod duces olim eligerẽtur, Comitum

mitum tempore hæreditaria fuerit ſucceſſio. Sed ab iis qui ſingula rerum momenta accuratius examinarunt, recte notatum, etiam poſtremis temporibus electionem Comitum locū habuiſſe. Neque enim ex vi ſucceſſionis Comites vocabantur; antequam titulum illum ordines tribuiſſent. Quod ſecus in hæreditariis uſu venire ſolet dominiis. Revera igitur, Comitū Regumque, ut Tacitus loquitur, dignitas obnoxia populo, quos etiam loco movere non illicitum, ideo inſtituta, ut circūfuſa plebs ſpecie autoritatis tanquam freno comprimeretur, atque populi inquieti motus colliderentur. Libertatem itaque avitam tum Romanorū tēporibus, tū Comitum ſemper illibatā ſervarunt Batavi. Unde Tacitus dixit nec opibus Romanis nec ſocietate validiorum attritos. & alibi: Nec tribu-
tis

tis Batavi contemnuntur nec publicanus atterit. Atque iterum Tacitus, viros tantum armaque imperio miniſtraſſe, tantum in uſus præliorum ſepoſitos, & velut tela atque arma bellis reſervatos tradidit. Eadē libertas etiā Comitum tempore in uſu fuiſſe conſpicuum eſt, cum lege cautum fuerit, ut Princeps, ſi quo tributo aut collecta opus habeat, ipſe ab Ordinibus exoret. Per legatū id ne agat. Onera niſi ſponte conceſſa ne exigat. In pleriſque itidem Iuris publici legibus Ordinum fere inculcatur autoritas. Quin ſi Princeps contra ierit, obſequii quoque negabantur iura. Unde illud quoq; lege cautum, mores antiqui legeſque ſanctæ ſint, contra quas ſi quid Princeps decreverit, nemo decreto teneatur. Libertati invictiſſimi huius populi Feudorum iura adverſari videntur. Quippe Imperatoriæ

po-

poteſtatis adulatores Hollandiam imperii eſſe feudum aſſeruerunt. Sed alibi inanes illos ſibilos atque ſuſurros exploſimus. Ipſis admodum Comitatus initiis, nunquam in actis publicis Feudi ſed ſpontaneæ donationis fit mētio. Nunquam Ordines fidē Imperatori dediſſe, etſi ex neceſſitate nonnūquam, illibata libertate patrocinium invocarint, hiſtoriarum teſtantur monumenta. Iohannem quidem Bavarum à Sigiſmundo Imp. beneficiario iure Hollandię Zelandiæque oppida accepiſſe traditum, ſed ab Ordinibus reſponſum, nunquam Hollandiam Feudū imperii fuiſſe. Vide Petrum Divæum Rer. Brabant. lib. 18. & Philippum à Leidis in libro de Sorte Princip. Eo itaque poſito liberam hanc ſemper fuiſſe Remp. neq; Comitum abſoluto imperio optimatum obnoxiam fuiſſe autorita-

tem, illud quoque legibus publicis ſtatutum ne quam Principatus partem Princeps à ſe poſſit abdicare. Uti enim inviſa omnis tralatitia poteſtas, ita maieſtas, quæ penes Proceres, lædebatur. Unde neque hæreditarium fuiſſe principatum liquet. Quorum iura vendi vel ultima voluntate transferri poſſe dubium non eſt. Ne quis tamen hic in errorem impingat, alia hic ſimplex eſt ſucceſſio, alia hæreditaria. Quæ hæreditaria ſunt, privati patrimonii inſtar transferri poſſunt, quæ ſimplicem ſecum trahunt ſucceſſionem neutiquam. Cautum quoque illud, ne ullæ ſpectatę dignitates peregrinis committantur. Ita natura mortalium præcipue Belgarum comparatum, ut indigenarum imperia, qui mores ſui populi & geniũ exactius norunt, longe facilius tolerentur, quam exterorum ſuſpecta poteſtas. Suſpe-

ſpectum autem ſemel, ſeu bene ſeu male facta ſemper premunt. Hinc ſeditionum ſępe faces veluti flabello motæ, quinet ipſum hunc inteſtini belli Belgici ignem multum promoverunt, ut ſuo loco dicetur. Dum enim indigenarum ingenia non ita peregrino patent, dum ſuſpicionum vana atque incerta ut plurimum populare captat odium, atque incitamenta irarum alit, ex certa amicitia ad inimicitiã extremam veluti per gradus pervenitur, atque hinc ſemel turbatis rebus, ut alibi Tacitus loquitur, plebs odio præſentium & rerum novarum cupidine ſuis periculis lætatur. Recte itaque peregrinos dignitatibus excluſit cordata Batavia. Ne autem creſceret in immenſum Principis poteſtas, alia lege tanquam publico freno proviſum fuit. Statutum enim ut ius ſit Ordinibus in cõcilium co-

ire quoties viſum fuerit, ſine ulla Principis indictione. Sed quia hodie Comitis nullum nomẽ, de maieſtate utique abſolutaque poteſtate, ubi ſedem poſuerit, nulla poteſt eſſe dubitatio. Singulæ quippe nationes ſupremam in ſuis ditionibus poteſtatem ſartam tectamque conſervant. Atque ea quidem Batavorum prę̨cipue poteſtas non nova, ut nonnulli criminantur, ſed iam per annos mille & ſeptingentos & quod excurrit, eadem atque illibata ſtetit. Sicuti etiam antiquiſſimis temporibus concilium minus circa vicos pagoſque, ita & hodie ſingulæ civitates pagique ſuum habent legitimum magiſtratum. Cōcilium maius penes Ordines, atque hoc conſtituit Nobilitas & maiorum civitatum delegati. Quod corpus ita temperatum ut Nobilitati atque Optimatibus, Populo deniq; ſuus honos conſtet

ſtet. Concordiæ mater ęqualitas, quam toties in divinis Politicorum libris ſummus ſapientiæ Dictator Ariſtoteles inculcat. Neque vero Ordines ſingulatim illi conſtituunt, qui ad Comitia accedunt, ſed tantum referunt ſinguli delegati ſuos, ut loquuntur, Principales. Hoc concilium, quoties neceſſitas ſuadet, indici ſolet. Cuncta fere hæc eadem quę Comitum tempore, niſi quod Gubernatori Hollandię ſua quoque accreverit autoritas, quæ tamen in totum ab autoritate Procerum dependet. Quæ ſuprema dignitas virtuti Naſſoviorum liberrimâ tamen electione debetur. Is Iuſtitiæ militiæque Præſes ac dictator, maris ſaltuumque præfectus, ubi exercitum ducit, vel urbium hoſtilium mœnia premit, in militia maximam habet poteſtatem, delictorum quoque venia ab eiuſdem nutu dependet.

Quæ quanquam maieſtatis ſpeciem referat, non multum tamen noxia libertati Reip. Neque hic extra ſilentium prætcrire fas eſt Ordinum delegatos, qui continua cura incumbunt, dum Procerum Hollandiæ nulla indicta ſunt comitia, proſpicere, ne quid terrâ marive Reſp. detrimenti capiat. Maris quoque fluminumque tutela ſpeciatim commiſſa collegio, uti vocant, Admiralitatis. Supremum omnium collegium conſtituunt Proceres fœderati, ſive gentium Legati, in quo conventu externæ audiuntur legationes, literis Principum reſpondetur, de cunctis quæ ad communem Provinciarum faciunt tutelam deliberatur. Non tamen Fœderati Proceres ſingularum nationum conculcant ſummum imperium. Unaquæque enim natio ſuis legibus, inſtitutis, ſua abſoluta utitur poteſtate.

ſtate. Non ſecus atque Helvetiorum hodie pagi ſive diſtrictus inter ſe arcto fœdere devinciuntur, ſumma tamen iura ſinguli tenent. Ita antiquitus, ad communia fœderis negotia inſtitutus erat Amphyctionum cõventus, ſingulis tamen ſua abſoluta poteſtas. Si autem provinciis ſingulis ſublatum eſſet ius ſupremum & penes fœderatos ſtaret Proceres, maximum proculdubio damnum Hollandia pateretur, quæ divitiarum mole, oppidorum atque hominum numero, tributorum magnitudine, cæteras fere poſt ſe relinquit Provincias: & ſuffragiis victa tandem peregrinæ ſuccumberet poteſtati, opesque in alterius effunderet ſinũ. Porro quo pacto flabra civilium tumultuum mota ſint, quæ cauſa belli, diſquiſitu utique digniſſimum videtur. Bellum Belgicum, cuius nomen etiam diſ-

ſitas gentes in ſuſpenſo tenet, an Belgii tantum an totius Europæ dicendum, dubium eſt. Cuncti enim Principes Chriſtiani huic fere ſe bello immiſcuerunt, quaſi in ſpithama terrę de univerſi imperio ageretur. Quantis utrinque cladibus, Neptunus & Veſta decolor, totiesque cum cadaveribus ſanguinem volventes Rhenus, Moſa, Scaldis teſtantur. Nunquam maiori animo bellum decretum, verſo in rabiem odio, quam in his partibus fuit. Nunquam minori potentia hoſti divitiis tituliſque tumido, qui maria & terras immenſa dominandi cupidine occupaverat, qui Auroram cum Veſpero coniunxerat; Tagũ & Pactolum auriferis arenis fabuloſos amnes Gangi miſcuerat, reſtitere fœderati. Perſpicuo documento quid non poſſint calamitate attriti mortalium animi, dum unicum imminen-
tium

titiam periculorum remedium eſt pericula ſubire, denique quam in lubrico ſtet Principum fortuna, qui neque velificari populorum moribus atque inſtitutis novere, & ubique rigidum potentiæ nomen exercent. Pars, inquit ille, ſapientiæ eſt, quoquo modo vitia, ſi mutari ſine gravi periculo nequeant, comprobare. Iuſtitia autem huius belli patebit, ubi origines occaſionumq; momenta in aperto fuerint. Plurimæ utiq; occurrunt cauſæ, quæ primo tumultuum ſcintillas, dein legitimum accenderunt bellum. Sicuti plerunque magna negotia à multis cauſis, ſicuti magna navigia à pluribus remis impelluntur. Utique populorum antiqua libertas, quam multis liberalibuſque diplomatis Principes auxerant, imminuta, prima malorum cauſa. Peregrinum Hiſpanum militem ſuo tenere gremio,

edictis privilegiiſque contrarium. Ordinarias tantum turmas è Belgarum populo ad ſubitos bellorum caſus tanquam tela atque arma reſervare Princeps ſolitus. Accedebat Hiſpanorum quoque militum, quos firmando, ut putabat, imperio retinebat Rex Philippus in limitaneis præſidiis inſolētia, quæ popularium animos irritavit plurimum. Sed iure ſuſpecta indigenis fuit Hiſpani potentia, cum eo modo Carolus V. invictiſſimus imperator regium Belgii nomen erigere conatus fuerit, eiuſdēq; artes ſecutus Philippus filius. Quo perfecto facile iudicabat iugum imponere ſe poſſe toti admodum Europæ. Hactenus vero obſtitiſſe Ordinum autoritatem, qui libertatis avitæ memores nihil minus quàm ambitionem fovebant Hiſpanicam. Etiam contra immunitates Belgarum fuit, auctio Epiſ-
copo-

coporum, & quo propius illos concernebat, etiam acrius tetigit Antiſtitum Nobiliumque animos. Cum & termini jurisdictionis prioribus contraherentur antiſtitibus, & nobilitati autoritas in comitiis ex plurium Epiſcoporum multitudine decreſceret. Hinc non tantum indignatio, verũ etiã minæ in Regem erupere. Quippe cũ in articulis inaugurationis Principis conſtitutũ ſit, nulla deberi obſequii clientelæq; officia, niſi & ipſe ea ſervet, quæ publicâ ſpopondit religione. Illud itaq; extra cõtroverſię aleã eſt, non potuiſſe Principẽ inconſultis Ordinibus, penes quos ſumma conſiſtebat autoritas, in re tãti momenti ſtatuere. Una ex graviſſimis cauſis ſanguinolenta Inquiſitio: quæ graviſſimis ſuppliciis in diſſentiẽtes à Romana eccleſia animadvertebat. Paſſim gladio, laqueo, igne & aqua innocẽtiſſimi mor-

mortales necabãtur, quibus nihil aliud pro crimine erat quam conſcientiæ libertas. Religionis utiq; negotia non per odioſum carnificis nomen cogi poſſunt, ſed ſuaderi debent. Corporibus quidem tyrannus, conſcientię autem ſecretis ſolus dominatur ſcrutator cordium Deus immortalis. Recte vero ab iis notatum qui ſecreta Principum attentius conſiderarunt, non tam religionis cauſa quam libertati Populorum tollendæ Hiſpanicam inſtitutam fuiſſe inquiſitionem. Hâc arte Neapolitano regno labefactata libertas, Arragonum infracta iura, & ſervituti ſuæ ingemuit Luſitania, donec ad libertatis nomen pervenit. Quo iure, non diſputo. Libertate autem Belgii fracta imperium Europæ atque imaginariam ſibi meditabatur monarchiam. Germanorum enim, Anglorum Gallorumque cervici-

bus

bus quotidie immineret locorum portuumque oppoitunitate Regis Hiſpaniarum exercitus. Cui fini dum per vim vel fraudes cuncta deſtinantur conſilia, nihil penſi habitum. Sed utique mala adhuc quoquo modo tolerabantur, donec Dux Albæ crudelitatis rigidiſſimus miniſter, denſiſſima calamitate totum Belgium involvit, dum tot hominum millia cætera innocentes religionis cauſa tanquam victimas mactat, Nobilitatem Belgicam proſternit, Egmontium Hornanumque ſecuri ſubiicit, Ordines contemnit, Principis Auriaci aliorumque bona in fiſcum redigit, rerum venalium decimas urget, civitates partim alibi partim hic in Hollandia devictas, quãquam nondum à Rege deſciverant, ferro atque igne exhaurit. Tota admodum terra innocenti ſanguine turgebat, exulum proſcripto-

rumque capita vel maria volvebant, vel diſſitæ recipiebant regiones. Ita redacti ad incitas miſeri mortales nullum niſi in deſperatione refugium habuere. Ita ipſe Hiſpanus nimia atque extrema crudelitate iugulo gladium impoſuit, dum ſpiritus ſuos Batavi colligunt, quique acrius maritimo cœlo animantur Mattiaci. Quippe infirma terrorum vincula incitamenta fuere libertatis. Utique ſicuti morbi nonnulli ſola quiete ſanantur, morbi autem maligni humores alios atque alios ad ſe trahunt, ita multa Reip. vulnera tempore quieta ſunt, ſi crudelius ſecueris atque agitaveris, accenduntur. Ex his quæ diximut juſtitia Belli Hollandici liquet. Vide tamen edictum Fœderatorum Procerum datum 26. Iulii Anno 1581. quo cauſæ itidem quare à Rege Hiſpaniarum deſciſcant, prolixe exhiben-

bentur. Quamdiu enim libertas integra, neque diminutæ immunitates, nulla gens in Regem obſequio adeo prompta fuit, ſed neque iugum ſtatim excuſſit. Verum ubi omnium cervicibus fatalis incubuit Tyrãnus, ius naturale ad communẽ eos vocavit defenſionem. Sed quomodo tam acciſis rebus etiam in ipſo bello contra tantum hoſtem in immenſum creverit Batavorum Reſp. ita ut neque conglobatæ gentes eam potuerint movere, diſquiſitionis graviſſimæ eſt. Non ego hic, Dei immortalis immenſam beneficentiam, atque occulta decreta, non imperiorum fatalẽ viciſſitudinem in medium adducam. Humanæ enim anguſtiæ non eſt cœleſtia invadere conſilia, ſed modeſti eſt, ſuis mortalibus ſe includere limitibus. Mirum dictu, primum gradum virtutis noſtrę fuiſſe ex deſperatione neceſſitatem.
Mor-

Mortis imminentis graviſſimum telum quocunque modo à cervicibus ſuis depellere conantur inſita natura cuncti mortales. Cui poſteaquam fœlicitas iuncta, imploratæ externorum Principum opes multum eandem extremis promovere temporibus. Quippe inviſam Hiſpanorum poteſtatem creſcere non permittebant, ſed ſuis quiq; regnis timentes turgidum Hiſpaniarum ſpiritum conſumi atque atteri hic in Belgio optabant. Acceſſere, vetita Hiſpanica negotiatione, in ignota marium litora navigationes & commercia, dum exiguis diſtenti limitibus utriuſq; ſolis adiere limites, clauſtra Oceani perrupere, atque ignotos ſibi aperuere theſauros. Quîs acceſſit tanta opificiorum multitudo, quanta uſpiam terrarum. Quid maritimæ præcipue militiæ, cui innutrita Hollandica pubes, peritiam? Quid

Quid Gulielmi prudentiam atque infractam virtutem? Quid Mauritii militarem ſcientiam, & qui utrique par eſt Henrici admirandas virtutes referam? Hos nobis tutelares Deos ſupremus noſter tutor Deus immortalis miſit. Nauticā plebē quod attinet, recte alibi ab Ariſtotele demonſtratum, maximū Reip. munimētum eſſe, utpote quæ ex maris ferocia ventorumque iniuriis duritiem corporis animique ſibi contraxit. Multum quoque opes huius Reip. auxit calamitatibus tam diu conſumpta Germania, cuius opes & commercia ad hoc punctum terræ migrarunt. Ita ut hodie Hollandia tam arcte urbibus habitata veluti marſupio conſtringat florentiſſimarū quondam regionum divitias, dum eximia pietate exulum profugorumq; vitā fovet alitque. Quam ſumma Ordinum concordia pru-

 dem-

Germaniæ ſecutos ex Tacito colligitur. Ex quo legum morumque tenaciſſimam fuiſſe conſtat. Atque eadẽ fere Comitum tempore in uſu, donec viciſſitudo temporum iuri civili ſuas immiſcuit conſuetudines. De quibus ut nonnulla agamus, à ratione noſtra non alienum videtur. Leges itaque & conſuetudines Hollandiæ vel toti Provinciæ communes, vel ſuis locis affixæ. Cõmunium ſpecialiumque legum promulgatio penes ſummam conſiſtit poteſtatem, niſi ex privilegio nonnullis civitatibus, vel pagis ius conceſſum fuerit ſtatuta ſcribendi. Quæ privilegia mutato Principe aboleri nequibant, cum omnes leges, ſtatuta, atque privilegia ſpontaneâ religione novus Princeps obſtringeret. Sicuti apud Romanos ita & Batavos iura ſervitutum viguerunt, & ante annos trecentos & quod ex-

currit in deſuetudinem abiere. Ita quidem ut ſervi aliarum nationum, priſtinam & naturalem conſequantur libertatem, qui per annum hanc habitavere regionem. Neque domino injicere manus licitum. Populi enim ſervitutis impatientiſſimi indignum quoque ſua maieſtate iudicarunt odioſum nomen ſervitutis exaudiri. Præter tutelam teſtamentariam dativam & legitimam ex matrimonio marito mulieris ſecundum noſtra iura competit tutela. Quinet olim cunctæ mulieres etiamſi innuptæ, ſine tutore nulla potuere adminiſtrare negotia, quod tacita conſuetudine abolitum. Tanta autem mariti in uxorem poteſtas, ut & oppignorare & alienare illius bona poſſit, ex propriis debitis uxorem quoque pro dimidia parte obliget, mulierum vero contractus ſine voluntate mariti nulli ſint. Illa
tamen

tamen adhibita nuper cautio, ut mulier mercaturæ alicui addicta, ex contractu etiam maritum obliget, atque alienare ſuas merces pro libitu poſſit. Compertum enim eſt eam Hollandicarum mulierum in commerciis eſſe ſagacitatem, atq; indefeſſum laborem, ut virorum ſępe ſuperent diligentiam, otioſiſque maritis ipſæ ſedulæ atque cautæ uberrimum ſibi conficiant quæſtum. Porro olim omnes quoque Eccleſiaſticæ Perſonę ſub alicuius Principis tutęla fuere, quam barbare Advocatiam appellarunt. Quâ de re erudite egit Hoſpinanus lib. 5. c. 6. de tēplis. Hinc paulatim illi qui ære ſuo ſacras domos ædificaſſent, ius aliquod Patronatus conſtituere. Antiquum illud ius, etiam tum temporis, cum ſub Pontificis autoritate gemeret hęc Eccleſia, viguiſſe exploratum eſt. Nam inter jura comitatenſia in rerum

Fiſcalium inventario, etiam reperitur ſeries Eccleſiarū in quas Comes haberet ius patronatus. Et quinquaginta circiter Nobilium familiæ intra Iuriſdictionis ſuæ limites eodem fruebantur olim jure. Sed recte notatum à Iuſtello in notis ad canones Eccleſiæ, initio orientis Eccleſiæ penes Eccleſiam ſuffragii electioniſq; ſtetiſſe poteſtatem. Quo pertinet locus Divi Lucæ Act. c. 14. v. 23. Quod communis incorruptæ antiquitatis probat conſenſus. Teſtantur illud Cyprianus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Gregorius Magnus, denique & ipſe Imperator Iuſtinianus in Nov. 123. Imprimis hic in Bataviâ periculoſæ plenum opus aleæ, ſi Nobilitas, quæ plerunque diverſæ religionis partes fovet, Eccleſiarum patrocinium electionemque miniſtrorum ſibi ſuſcipiat. Cui accedit reſtituta libertas Eccleſiis Belgicis

cis, cum religionis arcana ad veterem divini verbi normam redacta ſunt. Quanquam in hâc cauſa, quæ lites ſæpe in hâc Batavia noſtra movit, meum eſt, qui intra privatos parietes muſarum ſacris initiatus victito, vota Procerum expectare & ſequi. Similis fere hic incidit quæſtio, an magiſtratus Eccleſiaſticis leges præſcribere ſuo iure poſſint. Recte in hâc cauſa Divus Ambroſius reſpõdit: Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ divina ſunt aliquod ius habere: ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotes Eccleſiæ, publicorũ tibi mœnium ius commiſſum, non ſacrorum. Diſtinctos quoque ordines, diſtinctam poteſtatem eſſe, ſacra pagina, quæ norma eſt omnis veritatis, innuit. Iuſtinianus quidem Imperator ſacroſanctam Eccleſiæ autoritatem in Nov. 137. ad ſe trahere videtur

tur, ſed legitima utique hic adhibenda diſtinctio. Magiſtratus officium religionis ſopire diſſidia, externamque præſcribere formam. Salutis autem fideique myſteria, & ſacra diſciplina Eccleſiæ limites non excedunt. Itaque Synodos indicere univerſales magiſtratui proprium. Celeberrima cõcilia ab imperatoribus cõfirmata tradidit cordata antiquitas. Nihil tamẽ diminutũ iuri Eccleſiarum. Quam libertatẽ intactam illibatamque conſervari Reipub. Chriſtianę Batavicæque plurimum intereſt. Sed de his ample in tractatu de Principis poteſtate agemus. Ad alia aciem nunc intentionis noſtrę convertamus. Et ſi qua nobilis occurrat quæſtio examinemus. Liberalitas enim ingenii noſtri nullis ſe claudet terminis, diverſæque materiæ diſquiſitiones cancellis huius capitis coarctabit. De Dominio

maris fretique Anglici inter regem Britanniæ Proceresque fœderatos mota olim fuit quæſtio. Poſſideri per occupationem marium tractus poſſe, dubium non videtur. Nullam autem immenſi Oceani proprietatem ſtatui poſſe alibi ex profeſſo docui. Natura vaſti elimenti reſiſtit, qui nullis limitibus coerceri poteſt. Et jura quoque gentium libertatem Oceani ſingulis populis aperuerunt: neceſſitas quoque commerciorum per maria illorum uſum prohibere nequivit, cum per navigationes ſingularum regionum reſarciatur penuria, Neptunuſque divitias undequaque veluti eructet. Solis itaque hoſtibus & iure prohiberi uſus Oceani poteſt. Iure autem Hollandico maris tractus dimidius huic competebat regioni, ita ut eo extenderetur juriſdictio. Piſcationum tamen navigationumque iura ſi-

ne læſione nulli fuere prohibita. Quanquam autē ab Anglis creditum ſit, illius inſulæ juriſdictionem in meridiem, ſeptentrionem, ortũ & occaſum dirigi, inter quos locum tenet Albericus Gentilis, quis tamen Alberico accedat adeo vaſtum regi ſuo ius per æquora Neptuni arroganti, cum ipſe Iacobus Rex ſuo edicto fines ſibi conſtituerit, ultra quos noluerit ſibi poteſtatē porrigi contra Hollandos, Zelandoſque, qui vel piſcationibus ibi indulgent, vel Hiſpanorum contundunt ſpiritus? Quin & ipſa Eliſabetha in oratione ad querelas Mendozæ Hiſpaniæ legati illud maritimum ius ſatis ſuperque interpretatur, cum dicit, nec ius in Oceanum populo aut privato cuipiam poſſe competere, cum nec naturæ nec publici uſus ratio occupationem permittat. Quod luculenter memoriæ tradi-

dit.

dit Camdenus diſertus Britanniæ Hiſtoricus. Idem tradit, veniam piſcandi Hollandis deſidia Anglorum ſemper conceſſam, & incredibile dicit quantam pecuniæ vim ex hâc in Britannico litore piſcatione Hollandorum ſibi corroget induſtria. Quanquam autem fortaſſe piſcatio prope ipſum litus Anglicum an prohiberi poſſit in dubium vocari poſſit, pacis tamen ac mutui commerciique fœdus percuſſum ante duo fere ſæcula inter Henricum Septimum & Philippum Archiducem Auſtriæ, Hollandiæ Comitem omnem excipiunt dubitationem. Cap. enim XIV. iſtius fœderis ita ſonant verba: Piſcatores utriuſque partis partium prædictarum cuiuſcũq; conditionis exiſtãt, poterunt ubique ire, navigare per mare, ſecurè piſcari abſque alio impedimento, licentia, ſalvo conductu. Porro ex his quæ iam

diximus

diximus liquet quid de illa quæſtione dicendum ſit, quæ tempore induciarum inter Archiducem & Fœderatos de iure Indicæ navigationis mota eſt. Nimirum cum Hollandi per univerſum iam terrarum orbem vela dimitterent, cum Ganges divitias ſuas in Rhenum effunderet, & fabuloſum antiquis aurum eructaret, cum Occidui quoque ſolis cubile tentatum, Braſiliamque & Guineam virtus Batavorum perrupiſſet, magna contentione de commerciis Batavorum in Indiam utrinque actum, ita ſtatuentibus Ordinibus, iure gẽtium immenſum vaſtumq; mare unicuique patere, neque commercia præcludi cæteris gentibus poſſe. Nullam hic valere præſcriptionis iniquitatem, bellive iniuſtum titulum, vel donationis Pontificiæ arbitrium, neque vero quamvis aliquod ius occupationis ha-

berent

berent Luſitani, fructus mutuæ amicitiæ, qui ſunt commercia, intercidi poſſe vel debere. De mari vidimus, quale autem ius fluminum Hollandiæ ſit, diſquirẽdum nunc eſt. Et quidẽ omnia flumina iuris publici eſſe exploratum eſt. Neque enim tantum vorticoſi fluvii Moſa, Vahalis, ſed & quieti ac taciturni amnes, qui undique Bataviam noſtram cingunt, eiuſdem iuris ſunt. Unde tutela fluminum Ordinibus Hollandiæ incumbit, eiſdem ius vectigalia pro libitu imponendi. Quinet omnis vetita piſcatio, niſi quæ arundine atque hamo fieri ſolet, niſi illud ius à Proceribus ſibi comparaverint. In auſtrali tamen ſinu, ſicuti in vaſto mari, libera iis qui vicinos limites colunt, piſcatio. Etſi enim ex indigenarum amnium concurſu maxima illa conſiſtat aquarum colluvio, quia tamen aquarum
mur-

murmure undarum ferocia atque æſtu quoque maritimo in nonnullis locis ipſum refert Oceanum, communis piſcatio vicinis conceſſa regionibus. Neque in Waterlandia ullum ius in amnes ſibi Comitatus reſervat. Kenemarii quoque, vicini Harlemo populi, in flumine Ya, & quæ ſpeciali nomine obliqua Ya vocatur, liberam habent piſcationem. Cæteris in locis cuncti amnes obnoxii imperio Ordinum. Porro iura venationis antiqua conſuetudine ſoli cedunt Nobilitati. Aucupia quidem quanquam ſuis legibus unicuique licita. Niſi quod cygnos nonnullaſque alias nobiles volucres occidere veritum. Neque maiorum ferarum venatio communi lege ſtringitur, niſi quod Baronibus, quorum numerus exiguus, ſingulis annis unicum cervum agitare, iure tributum. Minuta ſectari animan-

tia, cuniculos leporeſque, nobilibus competit, atque iis quos illuſtris aliqua dignitas in ſublimi poſuit. Inter quos Senatores, Profeſſoreſque legibus locum habent. Niſi quod his, qui ſtudiorum potius quam ferarum ſectantur oblectamenta, annuatim ea de re ſtipendium perſolvatur. Antiquitus Nobilium hoc privilegium intra Mozæ & Zipæ limites claudebatur, donec tandem etiam alia Hollandiæ invaſit loca, vel quod populus non multum illam curaret immunitatem, vel quod longinqua conſuetudo, cum nemo contrarium urgeret, in vicem legis abiret. Prope tamen Dordracum, quæ regio ſpeciatim Auſtralis Hollandiæ nomen uſurpavit, unicuiq; civi opulento venari licitũ eſſe Grotius tradidit. Niſi quod circa anatum aviaria ut ibi ita nuſpiam globos excutere leges permittant. Porro anti-

antiquum quoque admodum ius Decimarum in Hollandia fuit, quo Comites undecimam fru-ctuum, percipiebant. Quod non ex Iure Canonico ſed ex Germanorum veteri inſtituto proflúxiſſe Grotius lib. 2. Iuriſpr. Hollandicæ egregie monet. Cum principibus ſuis antiqpitus viritim honoris cauſa armenta vel fruges offerre ſoliti eſſent. Cum autem Principum dein pietas multa Eccleſiis largita ſit, etiam decimas non ſemel cōceſſit. Quod ex Cœnobiis Egmondæ & Rhenoburgi nemini ignotum eſſe poteſt, niſi quem Batavica latet antiquitas. Idem Friſiorum antiquæ docent Hiſtoriæ, Principibuſque ſuis ius decimarum aſſignant. Decimæ autem quæ iure Eccleſiaſtico debentur Principi Laico nequaquam debentur, cum clericis tantum illud ius canonum tribuerit autoritas. Neque vero decima perſol-

perſolvebatur, ſed potius undecima. Quod ex conſtitutione anni 1288 dubium eſſe non poteſt. Non igitur hic opus ad Ius Canonum abire, ubi vera & legitima decimarum apparet antiquitas. Porro Feudorum Hollandicorum rationem & originem alibi excuſſimus, Carolumque V. ſervitia militaria remiſiſſe oſtendimus. Inter iura autem quæ in omnium ore verſantur, circa ſucceſſionem ius Aſdomicum & Scabinicum habetur. Quænam autem huius iuris origo, quæ ratio? Antiquitus vel legitimos iudices, quos Scabinos ſequior ætas appellavit, vel Aſingos vicinorũ prę-fectos fuiſſe exploratum. Qui poſterior modus in nonnullis locis uſque ad tempora Caroli V. invaluit. Hollãdi qui ſeptentrionem fluminis Iſalę ſpectabant, Aſingorum ſectabantur iura. Atque illud ius Friſicum appellabatur.

batur. Cuius hic erat tenor, ut proximus ſanguine ſuccederet. Itaque pater liberorum ex maternis bonis hęres erat. Quod uti naturæ conſonũ, ita difficultas maxima emergebat, quod in liberis liberorum nullum eſſet ius repręſentationis. Regula iuris Scabinici erat, quod bona ridirent ad illam familiã, unde ortũ ceperãt. Itáq; pater ex maternis bonis filii hęres non erat, & mortuo utroq, parẽte, inter hæredes ex utraque parte æqualiter bona dividebantur. Quæ iura Ordinum ſumma prudẽtia in harmoniam quandam atq; ordinem redegit. Ultimo mota olim ab Antonio Matthæo patre, cum Groningæ ſtudiorum cauſá agerem, illa quæſtio, an Academia hæc noſtra merum obtineret imperium. Ille vero acriter urgebat, ius gladii penes Academiam nullum eſſe. Rationem ubique inculcabat, quod collegiũ forẽſe ex Magiſtra-

giſtratu urbano & Antecefforibus conſtaret. Quod argumentũ adeo debile & ficulneũ eſt, ut mirer tãto viro, qui eruditionis radiis per totã Germaniã illuſtris eſt, excidere potuiſſe. Neq; enim magiſtratus quatenus magiſtratus, ſed tanquã pars Academici ſenatus illic apparet. Nũ quid vero nõ ſigillũ Academię, autoritatis character? Quiq; actis inſerviunt, nomẽ Academiæ agnoſcũnt? Ego certe illud non contentionis cauſa in tanto viro iam reprehẽdo, à quo natura mea ſemper abhorruit quam maxime, ſed quia inter eos nomẽ profiteor meum, quorum eſt non permittere, ne ſplendor atq; autoritas huius ſacroſancti Muſarum domicilii, atq; bonæ mentis delubri ullo modo infringatur. Et utique meruerat hæc civitas ea huius Academiæ privilegia, quæ difficillimis tẽporibus cum fame & mortalitate luctata imminentem cer-

vicibus hoſtē fortiter excuſſerat. Porro, ut hoc obiter addam, in his fere à Romanorum iure Batavi recedunt. Divortia non ſunt ita promiſcua, ut apud Romanos, ſed certis cauſarum concluduntur limitibus contra l. 8. & ll. ſeqq. C. de Repud. Si quis temeraverit thalamum coniugalem, ex hâc fere unica cauſa admittitur divortiū. Quod tamen ad malitiosā deſertionem extenderunt rerum divinarum interpretes. Ita ſtatuit Beza de divort. per deſert. Item iure Batavico prohibitio lecti coniugalis in linea collaterali latius extenditur. Filiusfamilias, ubi iuſtam legitimamq; attigit ætatem, de quibuſlibet bonis ſuis diſponere poteſt, cōtra l. pen. C. qui teſtā. fac. poſſ. Ius uſusfructus in nulla filii bona pater habet. neque parentes liberis impuberibus pupillariter ſubſtituere poſſunt. Adoptio, quæ liberorum fictitiam

præ

præ ſe fert imaginē, moribus noſtris inaudita. Si iuvenis, qui vigeſimum & quintum nondum attigit annum, vel puella minor viginti annis, abſque conſenſu parentum, vel proximorum conſanguineorum, ubi parentes deficiunt, vel magiſtratus iſtius loci, ubi domicilium fixit, animum ad nuptias appulerit, ex Divi Caroli edicto illa pœna afficitur, quod nullo titulo ante vel poſt matrimonium, inter vivos, vel vi teſtamenti, aliquid dare, donare, relinquere coniugi ſuo poſſit. Tutor, ſi in dubiis cauſis abſque conſenſu magiſtratus vel præfectorum pupillarium lites inchoaverit, impenſas & ſumptus iudiciales ſolvere cogitur. Iure Hollandico inter ſpurios & naturales liberos nulla poſita eſt differentia. Rerum immobilium traditio non niſi apud magiſtratum fieri ſolet: quadrageſima pre-

cii fiſco perſolvitur. Uſucapio, ſi mala ſupervenerit fides, vitiatur. Præſcriptio tertia parte centum annorum impletur. Bona illorum qui ad matrimonium ſe accinxerunt, ſi nulla pacta intercesſerint ante nuptias, quoad uſum & proprietatem, communia ſunt. Teſtamenta fieri ſolent vel apud acta, vel coram publico ſcriba & duobus teſtibus. Si quẽ ex liberis pater teſtamento præterierit, non cenſetur teſtamentum nullum, ſed ad querelam inofficioſi cõfugiendũ eſt. Filia minor viginti annis, ſi invitis parentibus ad matrimonium provolaverit, exhæredari poteſt, vinculum tamen coniugale integrum conſiſtit. Propter religionis heterodoxiam exhæredem aliquem ſtatuere moribus noſtris permiſſum non eſt. Impoſſibilis adiecta conditio teſtamenta nullo modo vitiat, contra l. 1. de Cond. Inſt.

Hæreditas ex die vel ad diem iure civili non recte datur, ſed vitio temporis ſublato, manet inſtitutio. l. 34. ff. de Hæred. inſtit. Iure noſtro fideicommiſſi naturam induit. Liberi fideicommiſſo gravati deducunt legitimam & Trebellianicam. Beneficium inventarii à curia Hollandiæ impetrari debet, & intra quatuordecim dies duobus teſtibus præſentibus per apparitorem inchoari. In legatis piis nullo modo falcidia admittitur, contra l. 49. in pr. C. de Epiſc. & Cler. Quæ hoſtibus relinquuntur, fiſco cedunt. Poſt decimum gradum hæredis loco fiſcus ſuccedit. Si coniugi deficiant conſanguinei intra decimum gradum, vel is, ad quem ab inteſtato pertinet hæreditas, intra annum, ut loquuntur, & diem, ſe non obtulerit, fiſco bona cedunt. Naturalis filii hæreditatem, ſi ſine prole defunctus fuerit, non ma-

ter ſuperſtes ſed fiſcus arripit. Verũ ſi illa ad plures abierit, dimidia pars fiſco, dimidia proximis ex materno genere relinquitur. De Iure Aſdomico, & Scabinico ſuperius quædam vidimus. Permiſſum quoque eſt moribus noſtris contra tenorem l. ult. C. de Iur. Emphyteut. emphyteutæ ius ſuum quolibet modo in alium transferre, modo ius προτιμήσεως domino integrum maneat. Vide Neſtoadium deciſ. 39. Suprẽ. Cur. Emptio pleriſque Hollandiæ locis potior eſt locatione, niſi aliter conventum fuit, contra l. 9. C. Locat. jus taciti pignoris moribus noſtris latius patet, quam ius civile dictavit. Ager obſeptus pro impenſis aggerum, hydraulicorum inſtrumentorum, atque ita porro, pignus tacitum habet. Deciſ. 35. cur. Holland. Navis ſi mercatoris propria ſit, cum mercibus pro naulo tacite tenetur. Si vero

nautæ propria ſit, pro mercibus, quas nauta diſtraxit, obligata eſt. Si quis mercatoris procuratorem egerit, & pro eo fidem ſuam obſtrinxerit, merces pro damno tenentur. Speciale pignus perſequi, non excuſſo debitore vel eius hæredibus, etſi in alterius tertii manus pervenerit, permiſſum eſt contra Auth. hoc ſi. Cod. de Pignor. Speciale pignus poſterius præfertur generali antiquiori cõtra l. 2. ff. & l. 6. C. Qui potior. in pign. Iure civili ſi plures navim exerceant, cum quolibet eorum in ſolidum agi poteſt, l. 1. §. fin. & ll. ſeqq. ff. de exercitor. act. Iure noſtro portionem ſuam cedendo ſatisfaciunt. Ex nudo pacto hodie datur actio, contra l. 7. §. 4. ff. de Pact. Sponſiones moribus noſtris non valent, niſi aliis inſertæ fuerint conventionibus, vel alterutrius interſit. Sande lib. 3. tit. 9. def. 1. Scrupuloſa antiquo-

rum ſuperſtitio in ſtipulationibus moribus noſtris non obſervatur. Vetitam fuiſſe legibus aleam apud Romanos ex antiquitate conſtat, adeo ut repetitio competat, & ſuſceptor ſi verberibus exceptus fuerit, ſi grave aliquod damnum perpeſſus, non audiatur. Solum certamen pro virtute licitum dicitur l. 2. ff. de Aleator. Moribus noſtris nulla competit repetitio, ſed quod perſolutum non eſt, eius rei nulla in judicio ratio habetur. Veteres Germanos aleę ludo deditiſſimos fuiſſe C. Tacitus autor eſt. Cuius cum Batavi quoque ſint proſapię, nemini mirum videatur, Albertum aliquando Bavarum Comitem Hollandiæ ius aleæ Delfenſibus ſpeciali indulto conceſſiſſe. Porro moribus quoque noſtris criminum perſecutio ſupremæ tantum competit poteſtati. niſi quod, ubi Princeps delictum

re-

remittit, propinqui defuncti & illi quorum intereſt evocentur, ut preces Principi oblatas ſurreptionis vel obreptionis accuſent; ſin ſecus, cum homicida tranſigere cogantur. Uſuris traiectitiæ pecuniæ nullus modus impoſitus, contra l. 26. §. 1. C. de uſur. Excipiens ſibi non numeratã pecuniam etiam intra definitum biennii ſpatium probare cogitur, ſecus atque in l. 14. C. de non numerat. pecun. definitum cenſetur. Res litigioſæ apud nos alienari poſſunt, contra titulum de Litigioſis. Rerum immobilium venditor fideiuſſores idoneos exhibere cogitur in quibuſdã Bataviæ partibus, contra l. 4. D. de evict ion. Retractus, ubi publica non eſt indicta venditio, contra tenorem iuris civilis admittitur. Quibus autem competat, vide Grotium Iuriſprud. Holland. lib. 3. c. 16. Societas omnium bonorum

rum tantum valet moribus noſtris inter coniuges. Si quis virginis honeſtæ viduæve pudicitiam corruperit, vel matrimonio ſibi iungere, vel quantum intereſt non eſſe vitiatam pro mulieris conditione perſolvere tenetur. Sin ex compreſſione onus ventris ferat, ſumptus partus cauſa inſtitutos pater præſtare cogitur: alimenta itidem à patre debentur, ſi mulier paupertatis prematur aculeo. Alioqui uterque pares ſumptus impendit. Iure civili pœna gravior indicta §. 4. Inſtit. de Publ. Iudic. Ceſſio bonorum à Principe impetrari ſolet, contra tot. tit. ff. de Ceſſio. Bonor. Sicuti etiam ſi quis reſtitui ſe cupiat tum ex aliis cauſis, tum propter enormẽ læſionem, ex l. 2. C. de Reſcind. vendit. Et hæc quidem præcipua ſunt, quæ à Iure Romano deflectunt, quæ hic ſparſim,

prout

prout in mentem occurrerunt, inſerere operæpretium duxi.

CAP. XIV.

Encomium Reip. Venetorum.

QUanquam ea ſit maieſtas Reip. Venetæ, ut ad fulgorem eius mentis noſtræ ignes ſtupeſcant, in tanta rerum magnitudine lingua hæreat, nihilque nobis præter audaciam & inſolitam dicendi pruriginem relictum ſit; arcem tamen hanc rationis noſtræ ita affectus ſuperarunt, ut dum hæc me à dicendo abſterret, illi ſtimulis pungant atque adhortentur. Ita illud quod vincere debebat victum eſt, & victoriam obtinet, quod obtemperare debebat. Non ſecus atque illi, qui in telluris gremio ſecure quieſcere poſſunt, merito vituperantur, ſi maris profun-

fundo & fallaci Neptuni gremio ſe ſiſtant, ita & ego fortaſſe iure reprehendar, qui nulla urgente neceſſitate illi Oceano me commiſerim, ubi non modicum orationis noſtræ metuendnm ſit naufragium. Videtur mihi hic ipſa Reſpubl. præſens, atque admonere, ut in ipſo adhuc veſtibulo ab inſtituto deſiſtam. Videtur Illuſtriſſimus Dux, totuſq; Purpuratorũ ordo & geſtu & vultu nobis ſubiraſci. Quæ quidẽ imago, ſive vera ſit ſive ficta, quod potius credo, non modicum tamen terrorem titubanti huic corpuſculo intulit. Sicuti enim in hemiplagia nonnunquam fieri ſolet, ut ab uno latere calor, ab altero frigus dominetur, ita in me modo calor ſudores elicit, modo frigus ſpiritus conſtringit, meatus conſtipat, fauces occludit, & non niſi cum magno impetu liberum dicendi ſpatium admittit. Incipiam tamen

men in laudes nobiliſſimæ Reipubl. quæ neque oratione noſtrâ neque ſilentio major vel minor fieri poteſt, quia ſupra omnes laudes poſita eſt. Unde autem potius ordiar, quam à tantæ urbis origine? quæ tum demum incepit, cum Romanum imperium eſſe deſiit? Tota admodum Italia incendiis Barbarorum ardebat, irrigua erat humano ſanguine terra, aër defunctorum corporibus fœtebat, in ipſis admodum cadaveribus ſupplicationis adhuc ſpecies apparebat, quin & ferociſſimi Hunni, qui neque belli iura neque pacis nomen audierant, urbes nobiliſſimas diripuerant, ſervitutem & compedes reginæ terrarum iniecerant, cum illuſtres Venetorum familiæ in proximas Hadriatici maris inſulas, tanquam in tutiſſimum Neptuni gremium aufugerunt. Ita quidē ut totum illud incendium
Hun-

Hunnicum aquæ Adriatici maris ſiſterent atque extinguerent. Ex calamitate & ruina aliarũ urbium In faſtigia tantæ urbis creverunt. Innocentia & Religio fundamenta iecerunt. Meliori certe omine quã gentium domina Roma ſurrexit. Fraterno primũ ſanguine maduerunt Principis populi mœnia, religionis velo primo Venetiæ cinctæ ſunt. Augurium vulturum rapacitatem Romani populi denotavit, qui omnes gentes per fas & nefas veluti devoravit: maris vero hæc Salacia perpetuam innuebat Venętorum tranquillitatẽ. Roma ſepta ſuis montibus, vinci tamen potuit: hæc ſexaginta, & quod excurrit, inſulis cincta, invicta per annos mille & ducentos ſtetit. Illa ſceleratiſſimorum hominũ aſylũ, hæc ipſius virtutis refugium atq; ſacellum fuit. Cuius delubrum in cõfragoſo coli debuit. Ita ut ſi verum ſit, quod antiqui Poëtę virtu-

tem

tem in rupe ſitã affirmarunt, proxime ad Venetiarum ſitũ accedere videatur. Sicuti enim rupes ab omnibus ventis agitata & ſecura, facile irati maris furias cõtemnit, ita nobiliſſimam civitatẽ tot vadis munivit, atq; eo aggere provida natura cinxit, ut hoſtiũ inſultus, iniuriaſq; freti facile collidat atq; cõprimat. Quid vero hic de maris iniuriis loquor, cũ ſponte ſua Reginę urbis dominium agnoſcat, ac tot interſectis euripis, turgidos atq; iratos vortices leniat atq; demulceat? Hoc inter laudes Hadriatici maris eſt, quod Venetorũ eſt. Quamvis & ſe devotam mari ſentiat Reſp. Veneta. Cui quotannis ſolenni ritu in ſubmiſſionis ſignum annulum aureũ iniicit. Ita myſtico more matrimonium veluti æternum civitatis cum mari cõtractum videtur. Neq; omina, quibus multũ tribuit credula vetuſtas, fefellerunt. Hic enim per

diuturnū tempus totius orbis emporium fuit, atq; divitiarū veluti publicum horreum. Quicquid oriens aſpicit, occidēs tegit, hic in cōſpicuo eſt. Sed quid illa prædicamus, quæ fortunæ propria videtur? Quid enim opes, quā pupę quibuſcum ludimus? Quid aurū, quam probe mixtum lutū? Quid margaritæ quā cōchyliorum verrucæ? quid deniq; ſerica quā vermiculorum telæ? Quamvis vero opes maximum quoque fulcrum Reip afferant, ita plerūq; noxiæ, niſi Sapientiæ, Prudentiæq; frenum adhibeatur. Quod ſanctiſſimis legibus aſſecutus eſt Venetorum populus. Quæ aliarum Reſūp. leges quotquot unquā fuere non tantum æquāt, verū pleraſq; vincūt. Quas non ambitio extorſit, non avaritia peperit, ſed ipſa præſes Iuſtitia dictavit, & Prudētia ſuggeſſit. Ea autem in regendi ordine atq; modo potiſſimū apparet.

paret. Enimvero etiam optimę leges exitio poſſunt eſſe Reip. niſi recta eas conſervandi ratio adſit. Sæpe inter Politicos diſputatum fuit, quis modus imperandi potior ſit, regius ne an optimatium, an populi: omnes ſimul limitibus ſuis temperavit atque coarctavit ſapientiſſimus Venetorum Populus. Prudentis illud, noxia ſeparare, utilia eligere. Regia maieſtas facile in Tyrannidē, Optimatium ſplendor in Oligarchiam labitur, fluctuantis populi motus inquieto mari ſimiles, atque huc atque illuc impellūtur. Sicuti mari colles, ita populo repagula quædam obiecta eſſe debent. Quis autem ſub Ducis ſpecie non regiam hic maieſtatem adorat? quis tanquam optimates, purpuratos Patres, Decemviros, Præcōſultores non veneratur? quis populi coaleſcentis concordiam in magno concilio nō admiratur? Libertas Reip. eximia,

mia, ubi nemo ſervire videtur. Omnibus ea inſita eſt natura, ut libentius imperemus, quam obediamus. Quamvis ſummus Philoſophorum nōnullos ad ſervitutem natos contendat. Qui inviti parent, occaſionē quærunt, ut potentiorum catenas diſſolvant, diſcordiarum ſemina alant, & quod in tranquilla nequeunt, in turbulenta adipiſcātur Rep. Alimentum illud Reip. unicum cōcordia mixtione hac ſtatuum ſtabilitur. Etiam naturam aſpice, temperamētū hoc ubiq; fere à Deo immortali cuſtoditur. Adeſt ſoli perennis lux, emittit quoq; radios luna, atq; infinita coruſcat ſiderū multitudo. Ratio humana in ſuprema arce dominatur, cætera tamen omnia membra ad conſervandum hoc univerſum conſpirant. Præterea quæ unquā Reſp. plus pacis belliq; artibus munita fuit atque Veneta? Plurimas civitates ho-

ſtile ferrum, nonnullas torpidum ocium atq; deſidioſum pacis nomen delevit. Tamdiu atq; Roma hoſtem habuit, imperium extendit, & utrumq; ſolē limitibus ſuis clauſit, ubi hoſtis defuit in propria viſcera ferrum conſtrinxit, & civili ſanguine Romanum orbem tepefecit. Carthagine victa, victa primum Roma eſt, & dum ſecum pugnat diſcerpta tandem eſt, non quod utiliſſimæ pacis leges Principi populo deeſſent, ſed quod tubarū clangores eas exaudire non paterentur. Ubi alterutrū munimentum belli vel pacis deeſt, aperta vel hoſtili, vel civili diſcordiæ porta eſt. Quod utrumq; tam ſancte obſervavit prudentiſſimus Venetorum populus, ut pacis tamen artes potiſſimum ſuo gremio foverit atq; educaverit. Cura pacis concordiæ inteſtinæ cauſa eſt, commerciorum horreum, divitiarū uber, ſecuritatis mater, in-

geniorũ nutrix. Ad quam omnia referre, ſapientis eſt. Quare floreutiſſima hæc civitas nunquam horridum belli nomen aſſumpſit, niſi neceſſitas urgeret, libertas poſtularet, nunquã ſanguinem alienum effudit, niſi ut ſuo parceret, nũquam aliorũ Fortunas evertit, niſi ut proprias ſtabiliret. Quotuſquiſque autem Principum & nunc & olim ſanguinolenta manu impia non aſſumpſit arma, ut imperandi ſitim cruore humano extingueret, & quaſi victimas miſeros mortales propriæ ambitioni immolaret? at vero illud demum iuſtum eſt bellũ quod neceſſarium, & pia arma, teſte Hiſtorico, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes. Quanto potius, limites virtutis extendere, quam iniuſti imperii? Quanto potius, miſericordia pungi, quam vindicta efferveſcere? Recte nonnulli antiqui Patres bella deteſtantur, quod viderent,

rent, pleraq; ex vindicta, ambitione & avaritia initium ſuum ſortiti. Neque vero hæc ideo à nobis dicuntur, quod Venetorũ populus in bello inglorius fuerit. Contrarium teſtantur tot irruptiones Turcarum oppreſſæ, tot bella fœliciter geſta, quorum pleni ſunt Annales, & omnia referre magis Hiſtorici quam Oratoris eſt. Sed quod pacis concordiæq; mutuæ potiſſimam ſemper rationem habuerit; quã auream ſalutis catenã, vinculum totius univerſi, merito quis appellaverit. Eam germana illa pacis ſoror, iuſtitia, pari fere paſſu ſecuta eſt. Quæ hic tanta integritate ſtetit, ut ſanctiſſimas eius leges totus admodum orbis adoret atq; veneretur. Calũniandi quædã publica prurigo in multis tribunalibus increbuit. Ita ut nobiliſſima Iuriſpr. veritatis illa alumna, omnis æquitatis mater, in turpiſſimam & nequiſſimã litigandi

tigandi artem abierit. Quinimo plurimis in locis incorrupta illa Virgo, Aſtræam dico, muneribus publicis proſtituitur. Fatale illud lutũ, quod ex obſcuris terræ penetralibus eruitur, etiã cœleſtem illam frangere & conculcare poteſt iuſtitiã. Ne hic de affectibus loquar, quibus multi ſupremam rationis arcem atque ipſam divinitatis imaginem ſubiiciunt. At verò in hac nobiliſſima Rep. nunquam affectus rectam rationem everterunt, nunquam munera in tantum valuerũt, ut virtus ex auguſto ſuo ſolio detruderetur. Humilis & abiecti animi indiciũ dona admittere, generoſæ & divinæ indolis reſpuere. Sicuti enim Deus immortalis nulla munera niſi pietatis admittit, quia nullo indiget, ita is Deũ, ſi ita loqui fas eſt, proxime ſequitur, qui in ſeipſo virtute ſua contentus eſt. Ad quam tota hæc Reſp. affabre facta eſt.

Quem-

Quemadmodum autẽ inter optimas ſegetes etiam lolia inveniũtur, prudentis vero eſt agricolæ illa extirpare, ne ſata laboreſque eius opprimant, ita iudiciorum leges etiam peſſimos cives invitos ad virtutem urgent, atque impellunt. Ita enim intricatus atq; perplexus iudiciorũ ordo eſt, ut vix ullus corruptioni atq; ambitioni locus eſſe poſſit. Electores Fortuna creat, illorum vota rurſus nová populi ſuffragia ſequuntur. Occaſio plerumque mortales in vitia abripit. Ambitio ſpe lactatur, ubi hæc deficit, etiam illa cadit. Nemo aliquem corrumpet, qui corruptionis nullũ præmium videt. O admirabilem igitur Venetorum prudentiam, qui ambitionem extirparunt, antequã ea fundamenta Reip. quateret, qui affectuum æſtus domuerunt, antequam naſcerentur! Quantâ autem cum curâ Decemviri & Cen-

ſores in ſingulos magiſtratus inquirunt, ut ritus legeſque maiorum ſanctiſſime obſerventur! Mutationẽ legum mutatio ſequitur Reip. Omnis admodum novitas fugienda, niſi neceſſaria. Nonnũquam non optimę leges ſi radices altius fixerint in animis mortalium, plus conducunt Reipub. quam nova ſæpe optimaque inſtituta. Sicuti noxiæ plantæ ita profunde aliquando ſe fœcundæ matris gremio ingerunt, ut difficillime niſi cum vicinarum plantarum calamitate atque vaſto telluris hiatu extirpentur, ita nonnunquam malæ leges cum bonarum legum ruina emendantur. Cum autem ea ſit legum apud Venetos præſtantia, ut ne quidem ulla mutatione indigeant, ſapienter earundem quoque æternitatem procurarunt. Quinetiam ab ipſis hæc Reſp. incunabulis libertatis ſtudio flagravit quam ve-

hementiſſime, eandẽq; Carolus Magnus & Craſſus ante tot annorum periodos fœdere percuſſo aſſeruerunt, neque ulli hactenus niſi propriis legibus obtemperare didicerunt. Eandem illam libertatẽ non in corpore tantum, verum & in intimis mentis penetralibus clauſerunt, reſervarunt. Omnia enim ſuffragia & conſilia occulto ſilentio muniverunt, quod tutiſſimum atq; optimum illud rerum adminiſtrandarum vinculum eſſe non ignorarent Videbant cordatiſſimi mortales, ſi palam unuſquiſque ſua afferret vota, multos metu potentiorum vel privata ratione abreptos in illam abituros ſententiam, quam nunquam mẽte approbaverant. Quare qui nulli alteri, ne quidem ſibi ipſis ſervire didicerunt. Quænã autem maior ſervitus, quam mentem nobiliſſimam, in qua divinitatis quædam imago apparet, linguæ ſervire?

Vota itaque ſua pilulis linteis, ne exaudiantur, in urnã coniiciunt. Quæ ſuis cellulis diſtincta diverſa recipit ſuffragia. Ita dũ omnes in Reip. bonum aciem intentionis dirigunt, nonnulli ſuffragiis, nemo affectu ſuperatur. Neque vero extra comitia minus religioſi, ubi qui tacere neſcit, neſcit loqui. Tẽplum tectum erexit Conſo conſiliorum Deo antiquitas, quod conſilia tecta & ſecreta eſſe oporteret. Eademq; de cauſa Fidei manu panno velata ſacrificatum veterum monimenta tradiderunt. Conſilia quoque hic omnia intimo cordis receſſu latent, & ſepulta in comitiorum templo manent. Taciturnitas autem filia prudentiæ, & inconſiderata levitas fatuã loquendi parit pruriginem. Qui inconſultus eſt in loquendo, neque ad agendum erit idoneus. Quare Perſæ nullam ei graviorem cauſam committebãt,

cui grave eſſet, quod illi facillimum putabant, tacere. Quam caute vero & circumſpecte ſingulas occaſiones penſitant, ne quis autoritate ſua male utatur! Quodcumque iniuſſu Populi Veneti fit, legum pœnis obnoxium eſt. Et quo quis obſequio prōptior eſt, ut cum Politicorum Principe loquar, honoribus & dignitatibus amplioribus extollitur. Ita ſinguli magiſtratus, dum imperant, obediunt, & ſuam dignitatem Reip. dignitati ſubjiciunt. Quare & hic ſuſpicio eminentioris potētię pro crimine ſæpe fuit. Hermolaum Barbarum, quod ſine iuſſu Venetorum Reip. Cardinalium ſe inſeruiſſet ordini, exilio damnatū hiſtoriæ teſtātur. Sicuti enim Medicina non tantum ad reſtituendam ſed etiam ad conſervandam ſanitatem utimur, ita quoque leges alia quæ facta ſunt, alia ne fiant emendant. Auctoritatem & poten-

tiam

tiam privatorum, tum cum maxime emergit, tēperare prudētis eſt. Quam concilii magni poteſtas, & magiſtratuū multitudo repreſſit. Ad maiora enim difficillime niſi per virtutem aſpirant, quibus exiguus imperii cōſtitutus eſt limes. Accedit quod ita iudicia vigeant, neq; ex lēto tractu languorē quēdam veluti cōcipiant. Dum enim unuſquiſq, muneri ſuo incumbit, facile momenta cauſarum expediuntur, neq; ex diuturno ſumptu privatorum liqueſcunt patrimonia: nec magiſtratus cauſarū multitudine obruitur, quæ temeraria plerumq; inducere ſolet iudicia, ſed facile limites ſuos regit atque tuetur. Sicuti enim vaſtus torrens difficile ſe ſuis terminis cōcludit, in rivos autem diſtinctum flumen facile ſuo alveo continetur; & leni morſu ripas lambit, atq; demulcet, ita diſtinctio & multitudo magiſtratuum, tranquillitatē affert, dum

dũ nemo optat quod non poteſt. Quinetiam concordiæ mater æqualitas ita fovetur, cuſtoditur. Cuius tantam ſemper rationẽ ſapientiſſimus Venetorum populus habuit, ut nullum inter cives ſuos niſi ſenectutis diſcrimen eſſe voluerit. Quód ut Romanorum antiquum fuit inſtitutum, & Philoſophorum quoq; Princeps in divinis Politicorum libris inculcat, ita publicũ modeſtiæ cæterarũq; virtutum exercitium eſt. Quam pulchre autem illud quoque inſtitutũ eſt, ut Electores fidẽ ſuam aſtringant pro iis, quos in magiſtratuum elegerũt numerũ! Quare rarum & inauditum fere peculatus crimẽ eſt, dum ii eliguntur quos innocentiſſimos atq; abſtinentiſſimos eſſe iam ante animo perceperunt. Quo tamen morbo præclare ſemper laborarunt Reſp. Totam certe Græciam hoc crimine cõmaculatam fuiſſe Polybius exa-

exactiſſimus autor memoriæ reliquit. Neque vero peculatores ſimplici pœna afficiendos exiſtimarunt, ſed perpetuam æternāq; ignominię notā inuſſerūt. Quotannis enim illorum nomina ſummo cum dedecore ex publica tabula recitantur, ne vulnus illud quod Reip. illatum eſt ex memoria civium dilabatur, & perditorum hominum imagines in oculis omnium verſarentur. Quamvis verò quid opus erat tali imagine, quibus iam antea virtutis imago, & publici boni ſplendidiſſima lucerna præfulgebat? Tutum illud quidem eſt & ſecurum, ſtimulis ad virtutem pungi, divinum illud, ſola virtutis ſpecie incitari. Quam multa hic porro de ſingulis inſtitutis, de annonæ cōſervandæ ratione, de cenſu & tributis exigendis, de ingeniorum præſtantia dici poſſent, niſi ſcirem me, quo amplius in hoc exili di-

cendi

cendi genere pergo, eo magis deterere Nobiliſſimę Reip. gloriam, quãvis illa revera neq; minui neq; augeri poſſit. Quare ego, ô Nobiliſſima & antiquiſſima Reſp. ô prudentiæ domicilium, ô iuſtitiæ delubrum, ô gloriæ palatiũ, ô pacis templũ, obnoxie ad genua veſtra provolvor, ut ſi quid indignũ veſtra maieſtate dixero, affectũ tamen hunc hominis peregrini amplectaris. Sed iam anhelat mea oratio, & dum nullũ finẽ veſtrarum laudum videt, neſcit quo pacto è carceribus ad metam perveniat. Quid ni igitur temeritatẽ meam inconſultumque calorem merito accuſo, qui dum ſe capere nequit, in tacendi neceſſitatem redactus eſt? Satius itaque eſt quocunque modo dictionis filum abrumpere, & patientiam veſtram non ingrata brevitate compenſare.

Cap. XV.

Illuſtres & miſcellaneæ Diſquiſitiones, ad Europam pertinentes.

Conſtitui hoc capite, nobiliores de Europæ Rebuſplicis indagare quæſtiones, quæ aliquod momentum ſecum trahunt. Non igitur hic multis illas, quæ herbæ parietariæ loco ſunt, diſcutiemus, an imperium Germanicum feudum Pontificis ſit, an à Græcis ad Germanos per Põtificem tranſlatum, an donatio Conſtantini ſubſiſtat, qua Sylveſtro Pontifici Romam imperiumque Occidentale conceſſiſſe dicitur. (Neq; enim otio abuti libet.) Itidem an imperium Germanorum recte adhuc Romanum dici poſſit. Quanquam vero ſub Romano contineri imperio, de quo oraculum Danielis loquitur, à veritate

veritate non alienum ſit: tamen utique inter Politicos egregii nominis illa orta fuit dubitatio, an unius imperio, an optimatium potius ſtatui aſcribendum ſit lacerum hodie imperium Romanum. Ego certe ad Bodini ſententiã proxime accedo, qui Ariſtocraticum eſſe defendit. Neque enim belli tubam excitare, pacem ſtatuere; fœdera percutere, leges novas promulgare extra conſenſum Electorum licitum eſt. Specioſum maieſtatis nomen, tituli que ſplendor & veneratio multorum præſtringit oculos, ſed rerum peritis non imponit. Quamquam hic noſtrum non eſt λογομαχεῖν. Utique recte ab Ariſtotele notatum, totam olim Europam abſolutum regis non agnoviſſe imperium, Aſiam vero iugi patientem. Quod alibi Hiſtoricorum Princeps C. Tacitus de Septentrione teſtatur. Atque
 hodie

hodie tota fere Europa, paucis exceptis regionibus, abſolutum revera Principem vix patitur. Quippe homines armis dediti, inſtructiq; lacertos & robur ſuum raro niſi ex neceſſitate ſervituti ſubiiciunt. Imbelles, quales Aſiatici, fluentes artubus, & veluti cum ſole liqueſcentes, facile abſoluto obtemperant imperio. Unde illa hic Politica diſſolvitur quæſtio, quo pacto ſola tyrannide Turcarum Imperator, qui earum Regionum incolis, non tanquam civibus, ſed veluti mancipiis fœdiſſimam imponit ſervitutem, tanti imperii limites in officio contineat. Nimirum cunctæ illæ gentes, quæ cum calore ſpiritus quoque exuêre libertatis, impoſitum cervicibus iugum facile tolerant, nihilque penſi habēt, modo deſidia luxuq; molliter vitam transigant. Porro Imperatorem totius orbis domi-

num eſſe, ex iure civili probare, uti nonnulli egere Iuriſconſulti, cordato riſum & ſtomachum movet. Magis inſulſum illud Pontifici attribuere. Quem Indiarum Regna Hiſpano dono dediſſe Hiſtorici tradiderunt. Sed ea de re poſtea. Nunc illa hic in dubitationem venit quęſtio, an Regna, Reſpublicæq;, quæ Romanam agnovere poteſtatem, iure illud iugum excuſſerint, præſcriptioniſque titulo ſe defendere poſſint. Primo hic tenendum, cum fœde occidẽtis dilaceraretur imperiũ, barbarique Hunni, Vandali florentiſſimas invaderent regiones, ſanguine tumultuq; Principes Chriſtiani omnia plena viderent, ſocordiaque Imperatorũ tutandis ſubditis impar eſſet, ſed Italiam, Hiſpaniam, Galliaſque negligeret, ipſiq; à iugulo hoſtẽ immanẽ ſuo milite, ſuis copiis arcerent: Iure quoq; ſequitur, ipſos Imperatores

regnis illis excidiſſe, cũ iure gẽtium protectionem ſubditis debeant. Neque vero illæ gentes ex cõtumacia ſed ex neceſſitate novum ſibi erexere imperiũ. Quinet ipſe populus Romanus plurimas provincias malis ſibi artibus ſubegit. Namq; Galliam, Hiſpaniamq;, & Africam, ipſamque illam opulentiſſimã Carthaginem Romanorum ambitio eadem calamitate atque ruinâ involvit. Affectabat enim Romanus omnibus viribus votiſque totius univerſi imperium. Itaque eodem iure excutere imperium ſubactæ gentes potuere. Quæ argumenta ſatis ſtringunt, neque hic præſcriptionis tutelam in medium adducere neceſſe eſt. Sed videamus quoq; ius exemptionis, quo nonnulli utuntur populi. Francos quod attinet, qui Gallias inſederunt, & qui poſterioribus tẽporibus tantum terrorem Orienti in-

cuſſere, ut hodieq; non alio nomine tota Europa quã Francia ibidẽ appelletur, etiam olim ab imperio Romano liberos fuiſſe veterũ teſtantur monumenta. Procopius enim lib. 3. Hiſtoriæ ſuę tradidit, Iuſtinianum, cum in Gallia Clotharius, vel, ut nonnulli, Theudibertus rerum potiretur, cũ Frãcis tranſegiſſe, haberẽt ſibi Galliam, eam ſuo regerent lubitu; modo nullã Gothis, qui miſere imperiũ dilacerabãt, opem ſuppetiaſque ferrent. Atque idẽ quoq; Imperator innuit in l. 2. C. de Offic. Præf. Pręt. Afr. Quanquam putida ambitione Francicum Gothicumque ſe indigetet. Ab eo itaque tẽpore iugo ſe imperii ſubduxit Gallia. Etſi enim Iuſtinianus iura imperii alienare non potuerit, neceſſitatis tamen lex, quæ tacito nitebatur populi conſenſu, aliud utiq; urgebat. Sed dicat aliquis, cum Carolo Magno, non tentũm Imperiũ Oc-

cidentis ceſſerit, verum & Frãciæ regnũ obtinuerit, ab eo iterum tẽpore ſubiectã fuiſſe Imperatorum poteſtati Galliã. Verum id ius non ex Imperatoria, ſed ex Regia dignitate obtinuit. Ita Guliemus II. Romanorum Imperator Batavorum quoque præfuit Reip. Ex eâ autẽ ratione imperio obnoxiã nemo cordatus dixerit. Cæteras quod attinet Regiones, Polonia Daniaq; nunquã vere ſubactę. Hiſpania dum Saracenorum violẽtiam proſternit, Anglia Normãnorum furorem patitur, iure ſuo veterem ſibi acquiſivit libertatẽ. Idem de Principe quondã terrarũ Italia dicẽdum, quæ in varios hodie diviſa principatus, veluti flumen plurimis exiguiſq; intortum brachiis, multum de veteri ſplendore atq; autoritate remiſit, diſcordiiſque quotidie colliditur, niſi quod vel Pontificis autoritas, Hiſpaniq; potẽtia, Venetorũque

virtus

virtus modũ plerũq; imponit. Civitatis autẽ Venetę maxime inter omnes effulget ãtiqua libertas. Nã & eâ tẽpeſtate, cũ Carolus Magnus ex traditione Irenes & Nicephori occidẽtis arriperet imperium, fœdere cautũ, ut Veneti ſuis uterẽtur legibus, neque ullius addicerentur poteſtati. Et hoc meruerat inclyta quondam illius Reip. virtus, cum enim Italia incendiis Barbarorum æſtuaret, atq; Regina terrarum ſub Attila fœdã pateretur ſervitutẽ, in ſicca arenarũ, atq; incerta delati vada, in ipſo veluti Neptuni gremio eam condidere civitatem, quæ naturæ ſitu munita Barbarorum contunderet ferociam. Ita ut ſi ad ullius imperium hæc attineret Reſp., iure ſuo ſolius maris ſubiiceretur poteſtati. Traditum enim recte à Iuriſconſultis eſt, mare nulli proprium, inſulaſq; in mari natas & vada occupantiũ eſſe. Venetiarum

autem civitas in inſulis maris cõdita, libertatis illibatum ſemper nomen ſervavit, niſi quod antiqua cõſuetudine veluti in ſignum publicæ poteſtatis aureum annulum quotannis in Hadriatici maris gremium conjicit. Atque hinc creditum illius maris proprietatẽ eſſe penes Venetos. De Iure autẽ marium tractuumq; eius cum alibi actum, non in eundem hodie impingemus lapidem. Sicuti & de laudibus inſtitutiſque florentiſſimæ Reip. extat integrum ſuperius caput, quod eidem, merito ſuo, devovimus, & conſecravimus. Porro paulatim Pontificis Romani adeo increviſſe poteſtatem, cum ſedem imperii elegiſſet Conſtantinopolin Imperator, ut Regibus ipſis leges poneret, Eccleſiaſticã cum Politica poteſtatẽ ad ſe traheret, nemini ignotũ eſſe poteſt, niſi quẽ ſacra fugit antiquitas. Sed Chriſtiana lege

longe alia olim fuit obſervatio. Quippe Imperatorum obnoxii erant arbitrio. Quinetiam primis atq; ſinceris Chriſtianiſmi tẽporibus omnibus civilibus negotiis & muneribus clerico interdicebatur, neq; ingreſſus in curiã licitus erat, ſicuti Tertullianus lib. de Idololatria tradidit. Bellicis autẽ ſe inſerere negotiis de clerico inauditum erat. Unde Ambroſius alibi: dolere potero, flere potero, gemere potero adverſus arma, milites, Gothos quoque, lachrymę meæ arma mea ſunt, talia enim munimẽra ſunt Sacerdotis, aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere. Labentibus dein annis paulatim ambitio & poteſtas Pontificum in immenſum crevit, dum ſimplex Principum mortaliumq; ſuperſtitio eandem metuebat fovebatq;. Hinc poſtea inter Principes Pontificeſq; fatales exarſere inimicitiæ, quæ factiones Guelphos & Gibel-

Gibellinos ſe indigetabant. Memoriæ proditum eſt, Fredericum Barbaroſſam Imperatorē Alexandro III. Pontifici, Venetiis, pacis conſtituendæ cauſa tam putide ſe ſubmiſiſſe, ut cum humiliter ad genua ſe provolveret Pontificis, ille ſummo faſtu imperatoris cōculcaret cervicē, adderetq; ex divino oraculo elogium, ſcriptū eſt, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Talem exiſtere Venetiis picturā, in quâ illa refertur hiſtoria, Franciſcus Sanſovinus, qui urbem illam accurate deſcripſit, autor eſt. Scio hæc aliter à nonnullis tradita hiſtoricis, quibus ego neque fidē minuo nec addo. Quicquid ſit illegitimam in Principes habere poteſtatē Pōtifices, exploratum eſt, niſi quoad diſciplinā Eccleſiaſticā. Exemplū illuſtre in Theodoſio Imp. Theſſalonicenſes cives ſeditione ſan-

gui-

guineq; urbem contaminaverãt. Indignum factum Imperatorẽ ad atrocius flagitium irritavit. Singulos enim, qui ludorũ forte cauſa frequentes venerant trucidari, juſſit. Removit eum ab intimo ſacrario Ambroſius, donec tandem pœnitentia ductus Imperator legẽ tulit, ne intra triceſimum diem criminales cauſæ terminarentur. Contra nimiam autem, quã paulatim ſibi Pontifex arrogavit Poteſtatẽ, multi ſcripſere, inter quos primas partes tenet Marſilius Patavinus, cũ ea diſcordia Ludovici Imp. tẽpore gliſceret creſceretq;. Uti autem de poteſtate magiſtratus in Eccleſia alibi agetur, ita libertatis ſuæ etiam in ſacris tenaciſſimi ſemper fuere Veneti. Ante quadraginta enim circa annos, cum ſedem Romanam obtineret Paulus V. contra Pontificem, qui in Rempubl. dirum emiſerat fulmẽ, Eccleſiaſticę libertatis acerrimi

mi fuere vindices. Defenſum ab illis. recte ſe legē cōſtituiſſe ne res immobiles ad Eccleſiaſticos ex ullo titulo devolverētur, neq; in criminalibus clerū ab ordinaria eximi magiſtratuum iuriſdictione. Prior articulus etiā antiquā primogeniæ Eccleſię notā prę ſe ferebat. Enimvero etiā Imperatores ne à lubrico fœminarum ſexu aliquid captare vel acquirere Sacerdos poſſit prohibuerāt in l. 20. C. Theodoſ. de Epiſc. & Cler. Cuius legis mentionē fecit Divus Hieronymus in Epiſt. ad Nepotianū. Carolum quoq; magnū alienationem prohibuiſſe memorāt annales. Idem ius ex aliarum gentium conſuetudine ſtabilitū. Edoardū III. Angliæ Regem idē ſanciviſſe Polydorus Virgilius lib. 13. Hiſt. Angl. tradidit. Eandem Luſitanię legem fuiſſe Ludovicus Molina, Aragoniæ quoq; idē ius eſſe, Petrus de Bellugo affirmat. Ne hic

de

de Sicilia, Galliaq;, quarum idem mos, fruſtra verba uſurpẽ. Altera autẽ quæſtio de Iuriſdictione in criminalibus antiquitate itẽ fulciebatur. Etſi poſterior Imperatorum ætas immunitates plurimas ex animi pietate indulſit. Porro Italia totius fere orbis quondam domina quam multis hodie fracta ſit principatibus, ſuperius monui. Et quanquam poſt exciſos magnitudinis Romanæ nervos multum quoque de veteri gloria amiſerit, hodie tamen civilis vitæ exemplum cæteris gentibus eſſet ſolet. Ibi enim humanitatis veluti ludus aperitur, atque ad Politicam efformantur mortalium animi. Nihil tam difficile, quo acumen Italicum non attingit. Virtuteſque & vitia non ſtupido impetu ſed cum artificio ſectantur. Ad extremum nullibi maiores virtutes, maioraque effulgent vitia,

tia, ubi ingenium ſuum ad malas artes applicant. Italiæ autem magnam partem rex Hiſpaniarum tenet, cui Sicilia, Regnum Neapolitanum, Ducatus Mediolanenſis obtemperat. Et niſi gravibus bellis eius conſumeretur potentia, facile cæteros Principes in ordinem redigeret. Quo autem iure florentiſſimas invaſerit Provincias, peritus hiſtoriarum ignorare nequit. Ferdinandus enim Hiſpaniæ rex poſt mortem Ioannæ Reginæ, quæ teſtamento hæredem dixerat Renatum Ludovici Andegavenſis fratrem, Regnum Neapolitanum invaſit. Ius quod ſibi vindicarunt Hiſpani in Sicilia falſis ſuſpectiſque uti teſtimoniis, Baronius memoriæ reliquit. Sed his omiſſis, quo iure Luſitanorum nitatur defectio, breviter excutiendum. Anno 1578, cum Sebaſtianus rerum in Luſitania potiretur

potiritur, atque in Africam expeditionem tentaret, Hiſpanumque militem, contra atque promiſſū, fruſtra expectaret, florē Luſitanicæ nobilitatis amiſit, atque ipſe adeo rex mortē obiit. Interea Hiſpanus regno Portugalliæ imminebat, excluſoque Antonio legitimo ſucceſſore, ferro ſibi vindicavit. Cum autem ſiniſtri paſſim de illa occupatione ſermones ſpargerentur, Theologis Complutenſibus deciſionem iuris ſucceſſionis commiſit, quos ſibi obnoxios deditícioſq; habebat. Sævitum dein in nobilitatē Luſitanicam, iura libertatis imminuta, homines peregrini excluſis indigenis imperio admoti. Hinc continuæ exarſere inter Caſtellanos Luſitanoſque ſimultates. Quas morum geniique diverſitas identidem fovebat. Sæpe iugum excutere conati, ſed occaſionis defuere momenta. Nobilitas e-

nim Luſitanica, quæ magnis adducta promiſſis Regem Hiſpaniarum in ſublime evexerat, eluſam ſe ſentiebat. Reſpondit enim illorum petitionibus Rex Philippus, aut jure ad Philippum regnũ Luſitaniæ pertinere, & nullam iis gratiam deberi, quos juſtitia cauſæ obligabat, aut contra ius ad diadema evectum, & ſceleris convictis ſufficere vitæ incolumitatẽ. Ita mobiles Luſitanorũ animi proditionis ſuæ pœnas dedere, & in ſervitutem redacti. Donec tandem patientia læſa in furorem bellicum abiere, atque ſub Iohanne IV legitimo, ut putatur, Luſitaniæ Rege, à cervicibus ſuis ſervile iugum excuſſere. Illis aliiſque artibus acquiſivit multa ſibi imperia Rex Hiſpaniarum. Quo autem pacto totius orbis habenas arripere poſſit, aſtute Campanella propoſuit, & triginta rationes ſubiugandi Belgii tradidit.

didit. Noſtrum eſt artem arte iterum eludere.

CAP. XVI.

De Imperio Turcico.

VAſtiſſimis Imperium Turcicū terminis ſtringitur, tota quippe Aſia, Syria, Iudæa, Ægyptus, maximaque pars Africæ, multique alii terrarum tractus Turcam dominum hodie agnoſcunt, fœdamque patiuntur ſervitutem. Maximi illi quondam Græcorum ſpiritus, qui ſublimi ingenio ipſa feriebant ſidera, oppreſſi vincnlis ſuis veluti ſtringuntur. Revera enim ita natura comparatū, ut dimidium illis bonæ mentis auferatur, queis libertas ablata eſt. Turcæ autem primo cum Conſtantinus Monomachus rerum potiretur Aſiam vaſtare cœperunt, auctiſque quotidie viribus Imperium ſibi ad ſolem o-

rientem erexere. Mahometus dein eius nominis ſecundus Conſtantinopoli capta, Conſtantinum Palæologum Imperatorem cum tota fere familia uſq; ad internecionem delevit, ſedemque ibi novæ tyrannidis erexit. Triſte autem illud ac dirum imperium non tam ſuis viribus atque inſtitutis in immenſum crevit, ſed per diſcordiam ignaviamque Chriſtianorum Principum, terrorem ſui ubique extendit. Quod ſi ambitio æmulatioque Chriſtianorum Principum aliquando in arctum redigeretur, quæ in varias hodieque partes ſtringitur, non diu viribus Europæ reſiſtere Turca poſſet, & ſubito lętior orbi univerſo rerum ſtatus illuceſceret, atque iterum caput extollerent, qui ſuæ hodie ſervituti atque ſordibus ingemiſcunt. Prodidere rerum Turcicarũ ſcriptores, militaris ſcientiæ plane rudes

eſſe Turcas, atque excurſionibus, rapinis incendiiſque terrorem tantum incutere miſeris mortalibus. Maximæ tamen illis vires in Ianizarorum turba; ita Turcæ Prætorianum peditem appellant. Qui Chriſtianis parentibus orti ſe Mahometicæ devovere religioni, atque per omnes fere imperii fines mittuntur tanquam limitanei milites, neque ullum frequentius municipium, in quo non aliqui Gianizari victitent, qui Chriſtianos & Iudæos aliosque opis publicæ indigos ab improborum contumelia atque petulantia publica auctoritate defendunt. Maxima illorum poteſtas, adeo ut ipſa Fortuna Imperatorũ in eorum verſetur manibus. Vnde furore barbaro & minis res ſæpe iniquiſſimas extorſere. Crimina eorundem atque delicta raro admodum puniuntur. Illis fere ſolis cunctæ patent dignitates.

Nulla hic generis, ſed virtutis ratio habetur. Sicuti autem ex infimis natalibus ad ſummos emergunt non raro honores, ita neque inauditũ, eos, qui ex ſummis gentis ſatrapis familiam ducunt, iterum ad raſtros redire. Adeo enim iacet apud Turcas nobilitas, ut nullam familiã, ſola Othomanorum domo excepta, ex ſe æſtiment. Ianizari itaque ſoli fere ſpeciem nobilitatis mentiuntur, atque Imperatoribus terrori ſunt. Vnde neceſſitas Turcam coegit, cum imperium adipiſcitur, à morte fratris crudelem inchoare tyrannidẽ, & ſanguine proximo polluere ſacerrimas manus. Sicut enim imperii ęmulos Turcæ nõ ferunt, ita fratre ſuperſtite nullum petitionũ modum Prætorianus miles facit ſi minus obſequentẽ Imperatorẽ habeant, ſtatim murmura exaudiuntur, quibus ſalutem fratri precantur.

cantur. Qua voce deſignari illum imperio non obſcure teſtantur. In tanta autem Ianizarorum turba natalibus nemo à reliquis diſcernitur. Sola illis virtus vera & unica nobilitas. Nihil fumoſis maiorum imaginibus vel maiorum meritis, nihil gratiæ ambitionique tribuit Imperator, ſed cuiuſque virtuti ſua attribuit præmia. Maiori illi pretio cenſentur, qui ſuo ingenio meritiſq; in ſublime evecti ſunt faſtigium. Sicuti enim animam non ex traduce ad hæredem tranſire ſentiunt, ſed divina potentia infundi, ita nullam virtutem eſſe hæreditariam credunt, vanumque nobilitatis nomen exibilant. Dum itaque virtute quiſque cenſetur, improbitas atque inertia contemnitur, Remp. ſuam egregie fulciunt ſtabiliuntque. Secus atque illis locis, ubi putida natalium oſtentatione omnes di-

gnitatum aditus occupantur, reliquis honorum prœmia præcluduntur. Scribit Busbequius in itinere ſuo Conſtantinopolitano, in tanta Ianizarorum atque aulicorum multitudine tantam eſſe morum modeſtiam, ita compoſitos vultus, ut admiratione dignum ſit. Nulla hic, uti in cæteris aulis, incondita exaudiuntur murmura, nullę curſitationes, ſed decora quiete cuncta conſpicua. Verũ ad alia ut nos convertamus, quæ memoratu digna, inſtituti noſtri poſtulat ratio. Apud Turcas nullus uſus horarum campanarumque, neque locorum intervalla ſpatiis ſuis diſtinguntur. Eſt apud illos genus hominum, qui templorum ſe dedere miniſterio: Taliſmannos ſua lingua indigetant. Vbi Aurora primum ſuum ruborem oſtentat, ex eminenti turri immenſum is edit clamorem. Idem inter orientem &

meridiem factitat, ipſa meridie, atque inter illud tempus atque occaſum ſolis; denique cum ſol infra illorum horizontem abiit. Ita in cōſtituta ſpatia totus dividitur dies, atque is contrahitur extenditurque, pro ratione æſtatis hyemiſque. Neque impreſſoria ars ibi nota. Literarum rudes, niſi legem excipias Mahomedis, qui impoſturis ſuis totum contaminavit orientem. Quin & ipſa Gręcia, muſarum quondam ſedes, bonarum olim artium humanitatiſque civilis efformatrix, eadem non tantum corporis, ſed etiam ingeniorum opprimitur ſervitute, & contra Scythicam barbariem Chriſtianam opem expoſtulat. Dum enim Chriſtiani Principes ambitione, invidia æſtuant, ſepultæque virtutes iacęnt, vix quemquam pietatis officium impellit, ut feſſis ſociorum rebus ſuccurrat. Turcæ itaque

bonarum artium imperiti in ignorantia atque animi veterno fulcrũ Reip.ſuę ſtatuere. Ea enim cauſa eſt, cur violentus Princeps finibus ſuis omnem eruditionem expellat, quod noverit, per literarum præſidium hominum animos ad honeſti cupidinem atque libertatem accendi inflammarique. Vti enim Muſæ ſervire neſciunt, ita liberos ſpiritus veluti inſpirant. Novit identidem, eos, qui ſequerentur diſciplinarum arcana, facile quoque Mahometicæ ſuperſtitionis inventuros deliria, cum hodie omnium rerum ignari de Religione ſecuri putida ſupinaque ignorantia verniles Alcorani ſui ineptias admirentur ſuſpiciantque. Itaque dum nullæ hic diſciplinę liberales vigent, ipſi ſubditi ſervitutem ſuam vel non ſentiunt, vel facilius tolerant. Porro apud Turcas omnis vini uſus lege vetitus, ſed ubi ſe-

mel eius dulcedine electi vini ſibi copiam fecere, eo largius quotidie ſe ingurgitant. Cũ enim veluti ex Stoicorũ placitis exiſtimẽt, æquè gravẽ pœnã mereri, qui plurimũ, vel parũ vini biberit, ebrietatem & crapulam continuam in lucro ponunt. Alioquin magno crimine probroq; ebrietas habetur, prę ſertim iis quos provectior ætas conſtantiores firmioreſque reddidit. Iunioribus maior venia ex ætatis lubrico atque excuſatio habetur. Loco vini potus ex aqua atque aromatibus confectus in uſu eſſe ſolet. Sicuti autem vinum polluere animam credunt, ita ab iis quæ immunda exiſtimant tanquam lethali veneno abſtinent, magnumque cenſetur piaculum ſi quis ſuillam carnem, ranam, limacem, vel teſtudinem attingat. Illud admirationem excedit, quod in pavimento nullam ſchedulam iacere

illo-

illorum permittit ſuperſtitio, ſed ſummo honore tollunt, atque foramini rimæque alicui indunt, ne pedibus conculcetur. Illam venerationem chartæ tribuunt, quod in ea conſcriptus ſit ſpurciſſimus ille Alcoranus, quem pro ſua lege obſervant. Additur & fabula ex eodem ſcripto. Fingunt enim, cum extremus iudicii venerit dies, per ferream cratem candentem ad beatorum ſedes eundum; ſervata autem charta pedibus illorum ſubſternetur, quo minus præſentem ſentiant dolorem. Tam putidi ſunt in ſua religione Turcæ. Immane apud eos flagitium Alcorano inſidere: Chriſtiano capitale. Roſas quoque humi iacere ægre ferunt, cum ex ſanguine Mahumetis natas ineptiant. Sicut olim de Venere fabuloſa credidit antiquitas. Et utique hinc originem accepiſſe videtur. Nam antiquitus A-

rabes Syroſque Venerem coluiſſe, ideoque piſcibus abſtinuiſſe, nemo dubitat. Idolum illud Alilat, & Aletto in Alcorano appellatur. Saracenos idolorum cultui maxime Veneris & Lunæ, quæ antiquis eadem, ſe addixiſſe Euthymius Zygabenus in Panoplia tradidit. Inde ſummis turrium faſtigiis lunulas impoſitas, inde idem Turcarum inſigne eſſe non eſt vana opinio. Etiam ipſo die Veneris ſacra ſua colunt. Porro illud quoque ſingulare apud Turcas, quod Clenardus in epiſtolis ſuis memoriꝫ reliquit, nullā ibi Advocatorum Medicorumque copiam eſſe, cuncta ex plano fieri iudicia, nullam hic ſententiam interlocutoriam, nullam appellationem, litem ſopitam eſſe, antequam ſit conteſtata. Alphakii & Alkadii, (ita ſuos vocant iudices) momento temporis ſingulas finiunt controverſias.

Nullus medicorum honos, ſed omnibus fere morbis unicum adhibēt remedium, ut flammis adurant umbilicum. Sunt tamen ut plurimum longævi, vel quod Natura iis vice medicinæ ſit, vel quod duriter parceque vitam tranſigant, neque illecebris voluptatum corpus corrumpant. Propriæ enim Turcarum virtutes parcimonia, ſobrietas, modeſtia. Laborum, ſupra quam credibile, patientes, ab omni luxu alieni. In veſtimentis ita modici, ut niſi tegmine capitis dignitas alicuius diſcerni nequeat. Ab ædificiorum magnificentia natura abhorrent. Superbi hoc animi iudicium exiſtimant, ſuo ſe non metiri modo, atq; ita ædes ſtruere, tanquam quis in æternum ſit victurus. Domibus utendum tanquam diverſoriis, ut ab inclementia cœli vel latronum inſultibus tutum habeamus refugium.

gium. Cæteras opportunitates non requirunt. Quod inde traxiſſe originẽ videtur, quia præliis aſſueta gens olim ita ædificabat, tanquam mox iterum relictura. Eidem in adverſa Fortuna patientes, in ſecunda modeſti cuncta fato divinæque voluntati ſubjiciunt. Porro hoc à Chriſtianorum alienum eſt inſtitutis, quod præter legitimas uxores, quarum repudium etiam facile conceditur, opulentiores infinitum ancillarum gregem alunt, quibus ad libidinem abutuntur. Quod uti à veteri orientis more profluxit, ita & alia reddi ratio poteſt. Immane enim ſecundum Turcarum legem piaculum eſt, mulierẽ quæ uterum gerit attingere. Nihilque gravius in Chriſtianorum culpatur coniugiis. Libidinis itaque incontinentes ad alias atque alias ſe applicant mulieres. Fœminæ autem niſi

ob-

ob prolem nulla in æſtimatione habentur. Mariti etiam nulla vel levi de cauſa reſtituta dote libellum repudii mittunt. Mulieres niſi duabus de cauſis divortium petere nequeunt, ſi maritus victũ non ſuppeditet, & præpoſteram cum iis exercere velit Venerem. Aurum vel ſericam veſtem geſtare lege vetitum. Solet enim plerunque mulierculárum luxus nullum finem invenire vel modũ. Quem prudenter tanquam multorum vitiorum ſegetem ſua ejecerunt Republica. Illud utique inuſitatum, quod Tograi poeta Arabum venuſtiſſimus tradidit, apud Arabes in more fuiſſe raptu inire matrimonia. Novi quidem apud Romanos ſpeciẽ hanc quoq; obtinuiſſe coniugiis ineundis, ſed ea ficticia atque ludicra tantum raptus imago in memoriam raptus Sabinarum inſtituta. Hic vero telis haſtilibuſque agebatur,

neque ſine cruore novę celebrabantur nuptiæ. Vnde ſponſis veluti ſylvam ex haſtis obiectam fuiſſe idem politiſſimus autor cecinit. Per quas ad amatæ ſpolium enitendum emergēdumque erat. Verum his omiſſis, quam multa in illorum lege, quam Alcoranum vocant, putida, inſulſa, & quæ homini cordato riſum & ſtomachum movent, quam multa nequitiæ viam ſternunt? Quis puerorum amores licitos non horreat? Quis Mariam Dei matrem ſororem eſſe Aaronis non rideat? Quis ultimam mortalium beatitudinem, cum extremus ille venerit dies, in Venere corporeiſque ſtatui voluptatibus non indignetur? Quis divinitatem ſervatoris noſtri cum negari audit, in horrorem non abibit? Quis impoſturas ſacri Prophetæ cum legit, totū fere terrarum orbem huic ſe dediſſe ſuper-

ſtitioni non obſtupeſcat? Quicquid olim florentiſſimæ tenuere nationes, uſque ad extremum fere ſolem ſpurcies legis illius occupavit. Et veluti igne hoc à parvis orto initiis, totus fere terrarum orbis conflagravit. Non quod tot gentium circulo naſus deeſſet, ſed quod armis & vi ad capeſſendam eam religionem redacti. Tandemq; poſteri, uti fere natura comparatum eſt, illi adhæſere ſuperſtitioni, cui à primo ætatis veſtibulo innutriti. Iuxta enim poetam, quē ſemel imbuerit odorem teſta recens, non facile exuit, ætatiquē puerili veluti ceræ illæ induntur imagines, quæ in ipſam abeunt naturam. De Servatore autem noſtro quid ſentiant, operæ pretium erit ex eorum eruere monumentis. Illum Maria virgine ſine adiumento patris genitum aſſeverant, cæleſtem patrem habuiſſe, & divinitatis il-

lum fuiſſe ante omnia ſæcula participem, conſtanter negant. Mariam ſororem fuiſſe Aaronis, filiam Amrani ſomniant. Illam cæleſti cibo nutritam finxere. Cõcepiſſe cum annos attigiſſet tredecim, iuxta alios, decem: ſexto, vel ut alii ſeptimo iuxta alios iterum octavo in lucem traxiſſe infantem commentator quidam in Alcoranum tradidit. Divinitatem Chriſti ſicuti neque Trinitatem agnoſcunt. Poteſtatem, quam paſſim exercuit, dum ſola voce languentia corpora ad priſtinam ſanitatem reduxit, mortuos à cæca caligine in lucem protraxit, ſpicula mortis contempſit, maiori poteſtati tribuunt. Putidum illud & ſtomacho dignum, quod proditum eſt Ieſum Chriſtum filium Noachi Semum vitæ reſtituiſſe: Deum, Chriſtum, Mariam, tres eſſe Deos iuxta Chriſtianorum placita. Eundem ta-

men maieſtatis divinæ præconem, Iuſtitiæ magnum ſacerdotem, verbum denique Dei eſſe aſſerunt. Eundem quoque Spiritũ Dei appellarunt, quem cũ Verbo homines profani cõfuderunt. Cęlitus illi Euangelium miſſum eidẽ affirmant. Intercedere illum pro nobis ipſi quoque credunt. Verum in eo præ aliis fidelibus nihil eximium habet, idem enim munus iiſdem attribuunt. Illuſtrem quidem Prophetam fuiſſe Servatorem noſtrum non diffitentur, ſed ſolius Muhammedis impoſtoris gloria ſublimi ferit, ut ille loquitur, ſidera vertice. Illum ipſi angeli, cæleſtes illi ſatellites, laudibus attollunt. Muhammedis placita & lege divina & Euangelio confirmari aſtruunt, Abrahamum, Iacobum, Mahometicam ſpurcitiam amplexum impudenter mentiuntur. Ille igitur ſolus eſt ἀιετὸς ἐν νεφέεσσιν, ἄλλοι

δ᾽ ὥς

δ᾽ ὥς τινι καὶ εἴκασι. Porro ut iis fieri ſolet, qui ex conſuetudine mendacia ſerunt inter credulum atque infirmum vulgus, ita hic unum aliud trudit mendacium. Servatorem noſtrum non affixũ fuiſſe trabi maledictę, & pro peccatis noſtris mortis ſpicula ſenſiſſe, ſed in cœlos à Deo immortali abreptum, alium, cui imaginem Chriſti impreſſerat ſummus rerum magiſter, pro eo cruci affixum, mortuum, perfricta fronte aſſeverant. Chriſtum in terram deſcenſurum ultimis temporibus, victurum quadraginta annos, compoſiturum ſe ad regulam Muhammedis, eidem ineptiunt. Sed jam ſatis nugarum. Vtique dum hæc ſcribimus, ipſe calamus ſtridet, mens horret atque indignatur, atque totum fere orientem tam vernilibus atque inſulſis fabulis contaminatum eſſe vix ſibi credit. tanta nunc ca-

ligo, unde primum lux ſcientiarum atque religionis nata eſt, orienti incubuit. Atque ut pueri crepundiis ita ipſi ſuis delectantur fabulis. manifeſto indicio, quam parum poſſit humana ratio ſibi ſoli relicta, atque ubi Dei immortalis ira invaluit, quam facile denſiſſimis errorum tenebris immergatur. Ubi ſemel ſuperſtitio ſuperſtitionem alit, ad anilia tandem delabitur infirmus mortalium animus. Nihilque adeo fabuloſum excogitari poteſt, quod mortales non arripiant, ubi infixa eſt animo præconcepta opinio. Errores & vernilia fabularum non ſentiunt, qui errorum hæredes ſunt. Quæ ſemel teneræ ætati inſtillantur, odorem ſui ſemper retinent, atque tam alte radices cerebro infigunt, ut vix extirpari ita poſſint, quin iterum expullulent. Sicuti autem totus oriens illa labe infectus, ita Perſæ atque

Tur-

Turcæ non tam de religione quam ſucceſſione Calipharum acres inter ſe gerunt inimicitias. Perſæ enim Halim ex teſtamento Muhamedis verum ſtatuunt ſucceſſorem, Turcę Omarem amplectuntur. Hinc continua inter eos exarſere bella, ita dirigentibus fatis, ut ab exiguo terræ ſpatio, quo Chriſtianus clauditur orbis, ex neceſſitate inteſtini belli abſtineant. Quanquam etiam hodie ſæviſſimus hoſtis limitibus Europæ imminet, atque Chriſtianorum iugulo mucronem intentat, quem in nos profana atque impia ſtimulat religio, quem regni propagandi immenſus ardor tenet, qui ne ipſis quidem pacis legibus, fœderumque conditionibus ſe cōſtringi exiſtimat, ſed opportunū expectat tempus, quo viſceribus Europæ inhærere poſſit & veluti ſubita procella cuncta obruere. Vos itaque allo-

quor Principes Chriſtiani, ne tam immenſum quotidie creſcere permittatis imperium. Quid civili ſanguine totam admodum contaminatis Europam, atque ex utilitate bella trahitis atque ponitis? Quin potius ferrum ſtringitis cõtra communem hoſtẽ? atque animos deſides ibi accẽditis, ubi virtutis exercendæ maior datur facultas?

Cap. XVII.

De Officio Magiſtratus, ſive De Rep. recte adminiſtranda.

NVnquam equidem dubitatum fuit ſine imperio & magiſtratu non poſſe ullam conſiſtere diu Remp. Neque ulla tam barbara gens, quæ magiſtratum ſuum non agnoſcit. Vt in capite mens toti corpori ſua offi-

cia

cia tribuit, gubernator in puppi collocatus regit univerſos, ita magiſtratus ſuos ſubditos. Delirus quidem ille Philoſophus Simon apud Ioſephum indignam hanc ſubditorum putabat ſervitutem; nihil minus: hæc potius libertas erat dicenda. Libertas eſt ſervire legibus, & obedire magiſtratui. Quinetiam in imperio ſervitus nonnunquam apparet, & in obedientia imperium. Quod maxime in magiſtratu & ſubditis illucet. Natura idem in corpore humano oſtendit. Caput eſt veluti arx & palatium mentis, atque imperat toti caduco huic vaſculo: ſubditi ſunt reliqui artus, & obediunt. Mutuum tamen inter caput reliquaque membra eſt imperium, mutua ſervitus. Idem in Republica contingit. Qui virtute & ſapientia pollent dominari in cæteros debent, non ut libertatem ſubditis eripiant, ſed

ut prudentia & conſilio conſervent. Is verus magiſtratus, non qui ſuæ ſed populi invigilat utilitati, non qui timeri cupit, ſed qui populo metuit, non qui ſuam quietem, ſed populi curat. Ea quies vix acquiritur, niſi pro ea curis continuis quis fatigetur, & ſemper animum vexet ſolicitudinum nova tempeſtas. Audite igitur hic, Vos Magiſtratus, quorum cervicibus incumbit Reſp., dignitatis veſtræ officia. Quo altiori vos ſolio commiſit Deus immortalis, eo maiora à vobis expectantur. Vicarii eſtis Dei, imo Dii. Dignitas hæc ſi in indigno ſit, nihil eſt niſi ornamentum in luto. Suprema omnium dignitatum in magiſtratu, eſt ſapientia, prudentia, juſtitia, fortitudo, religio. Brevius dico: quicunque vult ſalvam Remp. ſtabilire debet juſtitiam & religionem. De utraque hic dicendum.

dum. Iuſtitia eſt omnium civilium virtutum capſula & veluti gurges quidam. Totum hoc univerſum Iuſtitiæ libra conſtituit æternum illud & ſupremum numen, atque infinita ſapientia moderatur. Singulis rebus præfixus ſuus limes eſt. Solis annuus ambitus, lunæ ſtabilis varietas, anni diſtincta tempora hac bilance reguntur. Ipſum corpus hoc noſtrum, mortis fit præda, ſi humorum nimia efferbuerit diverſitas & pugna, & veluti inteſtino morborum bello anima ex hoc arcto ergaſtulo in liberiorem locum abire cogitur. Politia labitur, quando Iuſtitia. Sole abeunte ingratæ atque triſtes univerſo orbi oriuntur tenebræ. Magnum imperii luminare eſt Iuſtitia, quæ niſi illuceat, caligo & vaſtitas Reipubl. imminet, & fatalis quædam tempeſtas expectatur. Etiam nautæ ex nubecula præſagire procel-

cellam ſolent, etiam ex contempta Iuſtitia prudens poteſt magiſtratus. Recte Divus Auguſtinus dixit, remota juſtitia nihil aliud eſſe regna, niſi magna latrocinia. Hanc qui proſtituit, etiam Deum proſtituit. Deus ipſa eſt juſtitia, ſine qua regnare nequit. Hæc in omnibus humanis actionibus, in pace, in bello, inter amicos & hoſtes colenda eſt. Etiam in magiſtratus cauſa. Iuſtitiæ terminis quoque cohibetur Princeps. Eo magis, quia in magiſtratuum vitia ſubditi magis acutum cernunt, quam, ut Poëta loquitur, aut aquila aut ſerpens Epidaurius. Fontes aquarum limpidiſſimi ſunt. Magiſtratus fons eſt juſtitiæ, ab eo omnis debet abeſſe miſtio. In hac exequenda omnes affectus procul abeſſe debent. Tu qui imperas, vide ne fœdam ſervias ſervitutem præcipiti iracundiæ, ambitioni, amici-

tiæ,

tiæ, avaritiæ, quæ de tranquillitate mentis etiam conſtantiſſimum quemque dejiciunt. Auriga mentis debet eſſe ratio non affectus. In judicio nemo debet eſſe amicus vel hoſtis. Iracundiam cæteroſque turbidos affectus antequam ad tribunal veneris depone. Sciunt rerum naturalium periti lucidos & tenues debere ſpiritus eſſe ad bene judicandum. Affectus cerebrum obnubilant & veluti tenebras injiciunt ſpiritibus. Conſcientia mẽtis, quam arctiſſime impegit animo noſtro Deus immortalis, ſit vobis optimorum conſiliorum & factorum teſtis. Majus periculum eſt ejus coram Deo, qui judicat, quam qui judicatur. Barbara quoque illa vox eſt, nihil injuſtum quod fructuoſum. Peſſimi autem illi, qui primi juſtum & æquum ab utili ſepararunt. Omne quod juſtum eſt, etiam uti-
le

le eſt, ſi non tibi, ſaltem Reip. Qui Reip. cauſam geris, tuam non debes. Si tutor injuriam faciat pupillo, ut ſibi compendium quærat, infamis erit. Magiſtratus tutoris, Reſp. pupilli vicem gerit. Quanto major tutela, tanto male gerendo major eſt infamia. Quid dico infamia? Imo inexpiabile ſcelus. Quare Iulii Cæſaris deteſtabilis vox eſt, in omnibus juſtitiam colendam, niſi imperandi cauſa fiat. Ita tamen juſtitiam ſtabiliat ſummus Magiſtratus, ut animos ſubditorum non alienet. Summum jus eſt ſæpe ſumma injuria. Rumpuntur ea quæ nimis tenduntur. Vbi Sol nimis vertici noſtro inhæret, eiuſque calor pungit, pluviæ vel fulmina imminent. Non ſemel maximæ turbæ & perniciosæ in Rep. obortæ ſunt propter juris rigorem. Animi plebis mobiles ſunt, & nimiam ſeveritatem non

ferunt.

ferunt. Præcipue ubi libertatis ſpecioſum nomen prætenditur. Non ſecus atque feras cicurare animos vulgi oportet, & magis flectere quam frangere. Æquitas itaque in contractibus, clementia in criminibus juſtitiæ aſſideat. Nulla magiſtratum plus virtus decet, quam clementia. Si Dii immortales rigide nobiſcum agerent, nunquam à pœnis liberi eſſemus. Divinum eſt ignoſcere, ſed etiam punire ubi neceſſitas urget. Quædam mala exſcindi, quędam etiam obliterari poſſunt. Vbi gangræna corpus exedit, ſecari debet, ne totum corpus violetur. Ita quædam crimina non ſine maximo Reip. detrimento poſſunt eſſe impunita. Iterum, in vulneribus quibuſdam nihil aliud ſpectat medicus quam curam. Medicum oportet eſſe Reip. Magiſtratum. Quædam crimina ſecabit, quædam curabit. Ita amo-

rem & benevolentiam populi facile captabit, ita imperium ſtabiliet, ſi in quibuſdam criminibus pœnitentia contentus ſit. Firmiſſimum illud imperium quod favore ſubditorum fundatum eſt. Nemo inviſum imperium diu retinuit. Nullo præſidio, nullo munimento egere, ſed in populo habere, ſummum eſt præſidium atque munimentum. Magis itaque Magiſtratus cohibere, quam vindicare crimina videri debet. Recte alibi dixit Romanus ſapiens, Principi non minus turpia multa ſupplicia quam medico funera. Maxima hæc cum modeſtia agat Princeps. Neque ideo quia in alto poſitus reorum & ſupplicum preces contemnat. Nemo ita abjectus & depreſſus qui nõ aliquid poſſit. Etiam leoni à culice periculum imminet. Sciat ſe afflictorum ultimum ſolatium & veluti ſacram anchoram eſſe.

Uti

Uti autem clementiam Magiſtratus ejuſque modeſtiam extollimus, ita prudenti cavendum ne auctoritas evileſcat. Facilitas cum auctoritate temperanda. Neque enim in pace, neque in bello ſine auctoritate quicquam recte agitur. Vbi neglectus Principum eſt, etiam neglectus officii eſſe ſolet. Quare, ut ſimul cum facilitate auctoritatem retineat, in criminibus vindicandis terrore pœnæ nonnunquã magis puniet, quã ipſa pœna. Maxima ſępe pœna pœnæ metus. Vtique plus in metuendo mali eſt, quam in eo quod timeri ſolet. Major pœna mortis metus, quam ipſa mors. Accedat juſtitiæ, clementia, modeſtia, etiam prudentia, & fides, omnes juſtitiæ ſorores germanæ. Imperium ſine prudentia mole ſua ruit. Pro natura moribuſque gentium ea temperanda. Neque enim omnibus idem imponen-

dū frenum. Pro climatum diverſitate diverſitas eſt ingeniorū. Itali molles & vindictæ cupidi, Hiſpani feroces, Galli audaces, Batavi libertatis amantes & aſſertores. Contrahenda hic vela Imperii, prout ventus ſpiraverit. non omnis ventus, omni velo convenit, non omne imperium omni populo. Tempori & neceſſitati cedere ſapientiæ indicium eſt. Porro in pace, in bello, omnia prudentiæ committere oportet, cætera fortunæ. Cunctator eſſe debet in conſiliis, qui de ſalute populi judicat. Sed ubi præmeditata conſilia, celer agendo, cum tempus tulerit. In tempore unumquidque agere omnium rerum primum eſt. Nonnulla tamen præcipue in bello impetu magis geruntur quam conſilio. Quæ prudentis eſt diſcernere. Subitos conſiliis, eventu ſæpe fœlices eſſe compertum eſt. Non

tamen

tamen laudo, quia Fortunæ ea potius aſcribenda quam virtuti. Inprimis itaque ea vitanda in quibus lubrica illa, atque inſtabilis Dea maxime dominatur. Quale eſt bellum. Quod non temerario ſuſcipiendum. Alea illa etiam prudentiſſimum fefellit. Si tamen bellum neceſſarium, omnia ages circumſpecte, & incerta hæc quantum potes conſilio moderare. Maxime autem cavendum magiſtratui à civili bello. Multa imperia exrernis bellis ſtetere, internis periere. Inimicus qui tibi à latere eſt, maxime noxius. Hæc autem optima Medicina, diſſenſiones magiſtratuum ſopire, poteſtatem mitigare, onera minuere, religionem non mutare. Religionis hic cauſa maxima eſt, & Dei immortalis cura. Fulcrum hoc alterum Reip. eſſe diximus. De quo hic latius agendum. Majorum cæremonias retinere ſa-

pientis eſt. Nunquam mutanda religio, niſi ubi Deus ipſe jubet. Quamvis enim etiam mala atque idolatrica religione mutata, mutari quoque Remp. neceſſe ſit, tamen hic potius obediendum Deo, quam ſerviendum Reip. utilitati. Machiavellum enim hic non audimus, qui omnes religiones contemnit, & omnes admittit. Ne religio mutetur, diſſidia de ea maxime inter vulgus, quod novarum rerum cupidine plerumque æſtuat, à magiſtratu extinguenda. Nimia curioſitate ipſa ſæpe religio in animis hominum diſſolvitur. Myſteria divina rectius creduntur, quam inquiruntur. Multa ſacri vates inſtinctu divino ſcripſere, quæ cerebri humani imbecillitas capere nequit. Vti oculi ad ſolem cæcutiunt, ita mens ad ſacram Scripturam. Multi ſunt ſcopuli, ad quos allidit humanum ingenium. Pleraque neſcire

neſcire nos voluit maximus Magiſter. Erudita inſcitia eſt, decreta ſummi numinis ad cultum transferre, non ad curioſam inquiſitionem. Sed quid ſi fatalia de religione oriantur diſſidia, perverſarum opinionum nova ingruat calamitas, an puniendi, an tolerandi huius mali ſatores? Omnino puniendi, ſed extra mortem. Purgandi inutiles humores, ut corpus fiat ſanum. Si tamen error ille in populo radices egerit, potius lenitate quam vi utendum eſt. Quidam morbi exacerbantur motu, quiete ſedantur. Inveteratus error magis operiri debet, quam aperiri. Contumax & irritabilis hominum animus in cauſa religionis & renitenti maxime adverſatur. Vbi ignis liberum haber campum, tandem ſponte extinguitur, ubi incaute coarctatur, erumpit in flammam, quæ comprehendi nequit. Erro-

res multi tacendo ſopirentur, niſi inſita eſſet mortalibus diſputandi inquieta libido. Tolerari itaque ſecta potius debet, quam prohiberi, ubi invaluerit. Quod & Trajanus optimus Princeps recte obſervavit. Cum enim Tiberianus retuliſſet ſe ſuppliciis Chriſtianorum imparem eſſe, à pœnis abſtineri Imp. juſſit. Recte hoc Trajanus; male, quod obſtinatum contra Chriſtianos odium foverit. Sed condonandum homini ethnico, quem nondum Divini Numinis ſpiritus afflaverat. Validas itaque hæreſes paulatim conetur labefactare Magiſtratus, pullulantes extirpare. Nunquam tamen hic odioſum carnificis vocabulum uſurpetur. Nemo ad religionem vi cogi debet. Non eſt religio, religionem colere ex metu. In cauſis divinis mentem mutare non eſt hominis, ſed Dei, qui mentis pręeſt penetralibus, & ſuo

ſuo ſpiritu eam illuſtrat. Poteſt magiſtratus linguæ, non animo imperare. Recens eſt illa cruenta in aliter ſentientes uſque ad mortem inquiſitio, quæ florentiſſimum hoc Belgium inſigni mactavit calamitate, & terras civili ſanguine irrigavit. Contra hæreticos vix unquam à Principibus Chriſtianis ultimum illatum ſupplicium eſt. Certe Theodoſius & Valentinianus cum lege lata, quæ eſt in quinta Conſtantinopolitana Synodo, mortem & publicationem bonorum hæreticis indixiſſent, in exilii pœnam mox mutarunt. Ultima pœna non tollit in cauſa religionis errorem, ſed promovet. Exquiſitiſſima crudelitas, cujuſque ſectæ illecebra eſt. Martyria vulgo exiſtimantur ultima hæreticorum ſupplicia. Quamvis enim martyres, ut Cyprianus loquitur, non pœna ſed cauſa facit, quocunque ta-

men modo pro religione mori, martyrium eſſe inconſulta plebs credit. De quietis autem hic loquimur hæreticis, non de ſeditioſis & perduellibus, qui ex alio crimine mortem merentur. Vos autem Principes, qui refertis divinæ Majeſtatis ſimulachra, veſtrum eſt, religionem non tantum promovere, ſed & vere religioſum & pium eſſe. Non vobis tam de caduco hoc & umbratili, quam de æterno Dei palatio cogitandum eſt. Plantæ fontibus irrigatæ vireſcunt, & fructus ſuo tempore edunt. Mens veſtra divino Sacræ Scripturæ fonte irrigata, virtutibus omnibus incrementa dabit. Non tantum tua ſed & ſubditorum hic cauſa agitur. Cum Reip. membra in errores religionis deflectunt, multum ad cohibendam inſaniam, Principis religio & vita valet. Aula ſolet eſſe nequitię ſchola, tu ibi virtu-

tis & religionis ſcholam erige. Recte dixit Socrates apud Platonem, hominem ab homine, ſine duce Deo, male gubernari. Contemptores Divini Numinis, & vitiorum magiſtri, procul à conſpectu tuo arcendi. Etiam ipſe conſpectus contaminat. Maxime atheiſmus execrandus, qui Principum plerumque occupavit palatia. Satius eſt, peſſimam habere religionem, quam nullam. Qui Deum exuit, exuit omnes virtutes, & præceps in omnia ſcelera fertur. Iterum itaque dico, vos Principes, vos quoque Doctores Eccleſiarum, maximum religionis ſubditorum momentum in veſtra religione, maximum virtutis in veſtra virtute, maximum concordiæ momentum in veſtra concordia ſitum eſſe. Greges paſtorem ſequuntur. Si in præcipitia deferantur paſtores, etiam greges. Tu qui es Paſtor popu-

lorum ab hoc ſcopulo, ab hac charybdi ſummopere tibi cavendum ſcias. Ita fœlix & fortunatum tibi à Deo immortali continget imperium. Et qui Deum curaſti, etiam tui curam Deus habebit.

Cap. XVIII.

De poteſtate Principis Romani circa præcipua regalia.

Quanquam maieſtas abſoluta Principis latiſſime ſe diffundit, & ſicuti vaſto Oceano ita neque Principi modum quis ponit niſi Deus immortalis, littoribus tamen veluti ſuis conſtringere potiora jura majeſtatis quæ Regalia appellantur, nobis in animo ſedit. Opus quidem laborioſum & multis difficultatibus implicitum, & in quo metuendum ne naufrāgium exiſtimationis patiamur, iuventæ tamen noſtræ impetus.

petus & fervens ſanguinis calor ad illud inſtitutum adegere. Longa hic præfatione uti verborum, & mihi inglorium & vobis moleſtum iudicavi, & ubi rerum pondera eminent, verborum addere levitatem intempeſtivum eſt. Illud utique monitos volui, ſplendorem orationis hic ſecuturum non eſſe, nitorem nunquam, quantum in me erit, omiſſurum. Illud primo ſciendum, cum lex ſit communis ſponſio civitatis, regula iuſtorum & iniuſtorum, omnium humanarum & divinarum regina, ſicuti eam Chryſippus in l. 2. ff. de Legg. definivit, eadem ſit baſis Reip., in eiuſdem quoque eſſe poteſtate, cuius eſt Reſp. Ad maieſtatem itaque pertinet, leges condere, mutare, interpretari, abolere. Illud primo requiritur, ut ſuprema poteſtas legẽ faciat. Nullum ſuperiorẽ vel parem ſuprema admittit maie-
ſtas,

ſtas. Hac Principes Dii ſunt. In illam qui involat, veluti Iovem ex ſuo detrudit Capitolio. Si cui tamen Princeps ius illud conceſſerit, uti illo poterit. Sicuti rerum naturalium ſcriptores, eructare Oceanum flumina, quæ terras riguo liquore lambant & perfundant, teſtantur, ipſum tamen mare vaſto ſuo gurgite non minuitur, ita nonnunquam Princeps maieſtatis ſuæ rivulos aliis largitur, neque ipſe minuitur, ita tamen ut utilitatem publicam non offendat vel legem generalem tollat, l. 3. §. 5. ff. de ſepulcr. viol. & arg. l. 1. D. de Vſur. & l. 4. & 5. ff. de decret. ab ord. fac. Neque vero hæc abſoluta Principi competit poteſtas, ut leges natura iniquas inſtituat, ſtabiliat. Princeps non eſt ſupra Naturam. Illi ſoli imperat Deus immortalis. Cęteroquin ſi poſitive, ut loquũtur, lex iniqua videatur, nulliſque

que ſuffulta rationibus, non ſtatim nulla erit. Nam noſtrum non eſt, intimos legum ſemper penetrare receſſus. Non omnium quæ à maioribus conſtituta ratio reddi poteſt, ideoque anxie in illa inquirere non oportet, alioquin multa ex his quæ certa ſunt ſubvertentur. Ita reſponderunt Iuriſcōſulti in l. 20. & 21. D. de Legib. Legum eſt, vetare, punire, iubere. Ligant duobus poſt promulgationem menſibus, Nov. 66. cap. 1. Iura non in ſingulas perſonas ſed generaliter conſtituūtur. l. 18. h. t. Privilegia enim ſingulari perſonæ indulta propriè leges non appellantur. Leges itidem ad futura, non ad præterita extenduntur, niſi de præterito tempore fiat expreſſa mentio, & adhuc pendentibus negotiis cautum ſit. Textus habemus in l. 7. C. de leg. l. 27. C. de Vſur. & l. 22. C. de ſacroſ. Eccleſ. Porro ubi leges obſcuræ

ſcuræ, intricatæ contrariæ, ad Imperatoris recurrendum eſt auctoritatem. l. 1. & l. ult. C. de Leg. Cæteroquin ubi mens certa legiſlatoris apparet, iuxta æquitatem leges extendere licitum l. 8. C. de judic. In aliis ſtrictum ius ſequi oportet. Vnde dixit Ic. in l. 12. §. 1. Qui & à quib. manum. Quod quidem perquam durum eſt, ſed lex ita ſcripta eſt. Quinimo eo caſu iudicis officium eſt, leges ſibi præſcriptas ſervare quã arctiſſime; tanquam publica iuris à maioribus relicta patrimonia, & ſicuti Valerius Max. lib. 2. c. VI. inquit, ut in minimis quoque rebus omnia antiqua conſuetudinis momenta ſibi ſervanda putet. Sed non ignobilis hic vulgo moveri ſolet dubitatio, an Princeps legibus ſolutus ſit. Maieſtas quæ in Principe collucet, & quatenus populi totã auctoritatẽ ad ſe traxit, nullis obnoxia legibus.

bus. Ita Principi nemo leges ſcripſit, quia nihil illo ſuperius. Maius tamen omni imperio eſt ſubmittere legibus Principatum. l. 4. C. de leg. Perſonam tamen Principis ſi ſeorſim cõſideres, legibus, etiam pœnis tenetur. Etſi publica præcipue crimina, quæ ſtatum Reip. tangunt, in illo puniuntur. Scelerata illa vox fuit Iuliæ, cum Caracallam ad ſtuprum invitaret, an neſcis te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Non oportet magnitudinem fortunæ peccandi licentia metiri, &, ut Seneca inquit, minimum decet libere cui nimium licet. Solennitatibus tamen Principem ſolutum nemo cordatus dubitat. Vincula hæc inventa ut in officio concinerentur mortales, quorum ſæpe ſubleſta alioquin fides eſt. Sed Principis maieſtas omnem fidem ſuperat, & cuncta ſuis radiis illuſtrat. Vide. L. 34. §. 1. C. de donat.

&

& Nov. 52. cap. 2. iuncta lege 19. C. de Teſtam. Ex Imperfecto tamen teſtamento noluit quicquam capere Imperator, l. 3. C. eod. ne ultima teſtatoris voluntas inverteretur, & Principibus ſæpe contra ius captarentur hæreditates. Ex his quæ diximus apparet, mandata quoque & reſcripta Principum item Pragmaticas ſanctiones vim iuris habere. Si tamen ad preces ſubditi contra ius vel utilitatem publicam reſcripſerit Imperator, iudex iudicium cohibebit. Salus enim Reip. ſuprema lex eſt. Huc pertinet lex fin. C. ſi contr. ius vel util. publ. Itidem ſi tertii ius lædant, vel fiſco damnum afferant, preces vel reſcripta nullius erunt momenti, ſicuti etiam ſi mendacio fulciantur. l. 3. iuncta, l. 7. C. de Prec. Imp. off. & l. 2. C. ſi contr. Ius vel util. Publ. & l. 5. C. eod. Habet & libellus Principi obla-

oblatus eam vim, ut litis conteſtationem faciat l. 1. C. Quando libell. Pendente tamen lite, de iis quę cauſam primario concernunt ſupplicare prohibitum, l. 1. & 2. C. Vt lite pendent. Nov. 133. c. 1. Poteſt quoque Princeps dilationem ſolutionis debitori concedere, ita tamen ut fideiuſſio de ſolutione præſtetur, l. 4. C. de Prec. Imp. offer. Prioribus tamen fideiuſſoribus, antequam Princeps dilatorias literas conceſſit, non prodeſt exceptio perſonalis ſed realis tantum. Quod ex §. fin. Inſt. de Replic. & l. 7. pr. & §. 1. ff. de Exception. liquet. Gratiam quoque delicti ſolus Imperator concedit, atque is qui pœnam conſtituit eandem mitigare poteſt. l. 4. & l. 31. ff. de Pœn. Indulgentia tamē, quos liberat, notat, nec infamiam criminis tollit, ſed pœnæ gratiam facit. l. 3. C. de Gener. Abolit. Diximus Principem ve-

niam delicti concedere poſſe, ſciant tamen Principes ſeveriratem clementia ita temperandam, ne in legem divinam impingant, vel commodum Reip. evertant. Audite ſacram paginam 2. Paralipom.c. 19, Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium ſed Domini, & quodcunque iudicaveritis, in vos redundabit. Impunitatis quoque ſpes multos ad flagitia impellit. Formidine pœnæ manus ſceleratorum ligantur. Non oportet ſemper injurias Reip. largiri, ſed potius metuere ne diras & piaculum eius, qui crimen commiſit, in ſuam familiam convertat Deus immortalis. Vti igitur non ignoſcet peccatis Princeps cordatus, quibus vel Natura vel Deus ipſe reſiſtit, ita pœnam quoque divinarum legum ex ratione mitigari poſſe iure cenſeo. De iure ceremoniali & forenſi nulli dubium

eſt,

eſt, jus morale ſempiternum quidem & immutabile, ut pœna infligatur ei qui honeſti illos limites tranſiliverit, ſed augere vel minuere pœnam eius eſt qui præſidet Reip. cum illud magis Politicum quam morale videatur. Furti iterati pœna hodie eſt capitalis, iure divino pecuniaria, adulterii hodie pecuniaria, cum lex ſacra mortem infligat. Quæſitum an rectè. Vtique hic Princeps Politicam ſequi poterit utilitatem, in totum pœnam abolere non poteſt. Frequentia criminum in ſe gravat eorundem pœnam. Oriens in Venerem proclivis, vel quod cœlum ibi ſuo calore inſtiget, vel quod luxu & mollicie diffluat. Libido hæc, præſertim ubi quis alterius toro imminet, gravi pœna coercenda fuit. Batavorum temperatus ſanguis, præſertim cum antiquitus illud crimen inauditum fere eſſet,

nulla tali pœna indigebat. Et ita in reliquis. Quando autem naturalis & divina ratio concurrit, Principis poteſtas merito inferior cenſetur. Itaque homicidii pœna mitior à Principe ſtatui nequit, quam natura animi noſtri penetralibus inſevit, inſcripſit, atque edictum ſupremi numinis ſancivit. Dei imaginē qui lædit, ita ut animæ cum corpore contuberniū diſſolvatur, Deum ipſum lædit. Itaque raro admodum talis criminis veniam dabit, niſi cauſa bene perſpecta cognitaque. Vitæ cum vita iuſtiſſima compenſatio eſt. Sicuti autem veniam delicti concedere poteſt Princeps, ita indicta aliquem causa damnare illicitum. Iuris enim naturalis eſt defenſio. Niſi evidentia delicti & periculum in mora nullam accuſationem admittant. Iudex itaque, cui tale mandatum exhibuit Imperator,

ſi

ſi innocentiam rei perſpectam habeat, non temere ad extrema quæque decurret, ſed ad Principem ſuum literas exarabit, quibus rei veritatem deteget. Poteſt enim Princeps lubrico erroris duci, poteſt iracundia abripi, vel nube aliorũ affectuum in peiorẽ partem incidere. quod ratio nequit, ſæpius ſanavit mora. Vide l. 1. §. 24. ff. de Quæſt. & l. 20. C. de Pœn. Vbi dicunt Impp. Si vindicari in aliquos ſeverius contra noſtram conſuetudinem pro cauſæ intuitu iuſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam aut excipere ſententiam, ſed per dies triginta ſuper ſtatu eorum ſors & fortuna ſuſpenſa ſit. Cui legi auctorem fuiſſe Ambroſium, cum Theodoſius Imp. Theſſalonicenſi cæde maculaſſet manus, ſcriptores idonei prodiderũt. Mãdatum porro Principis quod ſua ſponte iniquum eſt, à delicto non

excuſat. Magnus Comes largitionum Iuliani Imperatoris mandato Berytiorum templum (eſt autem Berytus Phœniciæ metropolis) igni ſubiecerat. Theodoretus in Hiſtoria Eccleſiaſtica memoriæ tradidit à Ioviniano condemnatum, ut privatis ſumptibus templum reficeret, & vix corporis pœnam evaſiſſe. Sicuti autem Princeps indicta aliquem cauſa punire non poteſt, ita multo minus, ſi delictum ex ignorantia commiſſum ſit. Sed audi, inquiat aliquis, Papinianum Iuriſprudentiæ veterem & exactum, in l. 1. ff. de Leg. Lex eſt, inquit, commune præceptum, virorum prudenditium conſultum: delictorum quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio, communis Reip. ſponſio. Idēque repetit ex Demoſthene in l. 2. Marcianus Ic. Quidni ergo & Princeps qui lex eſt animata in terris, idem

præ-

præſtare poterit? Sed utique per ignorantiam latam culpam intelligit Ic., adeo ut luxuriæ, id eſt, effreni intemperantiæ vel dolo ſit proxima. l. 11. ff. de Incend. ruin. naufrag. Ita ſi quis negligentius ignem habuerit, fuſtium pœnæ ſubjici poſſe Ic. in l. 3. §. 1. ff. de offic. Præf. vigil. tradidit. Ita illi qui per ignorantiam aut fortuito lapides, quibus agri terminãtur, ſurripuerint, verberibus excipi poterũt l. 2. in fin. ff. de Term. mot. Ita in l. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil. in culpa eſſe cenſetur, ſi quis, inquit Ic., in ſtipulã ſuam vel ſpinam comburendæ eius cauſa ignem immiſerit, & ulterius evagatus & progreſſus ignis alienam ſegetẽ vel vineam læſerit: requiramus num imperitia aut negligentia eius id contigit. Nam ſi die ventoſo id fecit, culpæ reus eſt; nam & qui occaſionem pręſtat, damnũ feciſſe videtur. In eodem cri-

mine eſt qui non obſervavit, ne ignis longius procederet. At ſi omnia quæ oportuit obſervavit, vel ſubita vis venti longius ignẽ produxerit, caret culpa. Alia hic emergit dubitatio, an Princeps ſubditis ſuis imperare coniugia poſſit, vel prohibere ne pater filiam ſine licentia Regis elocare poſſit. Gulielmum I. Regem Siciliæ talem legẽ ſanciviſſe autor eſt Summon. lib. 2. Hiſtor. Neap. cap. 3. Vtrique negandum eſt. Ita enim patria poteſtas atque auctoritas conculcaretur; Quid durius quam proprium ſanguinem trahi, cogi ad nuptias? Dimidium & veluti particulam animæ ſuæ non tam nuptiis quam ſtupro deſtinari? Cum apud Romanos traditos ſibi faſces furore quodam regio Decemviri uſurparent, in carcerẽ & catenas ab Aventino monte detracti, quando Appius Claudius eo delapſus eſt inſolentiæ,

tiæ, ut virginem ingenuam ſtupro deſtinaret. Quid vero coactæ nuptiæ à ſtupro differunt? Quænam educationis præmia? Sudoresne impenſi lachrymis compenſabuntur? Et ſi uſpiam, in matrimonio liberrima debet eſſe voluntas. Vinculum nuptiarum eſt mutua benevolentia. Conglutinationem corporis præcedere debet conglutinatio animorum. Neque hic imperium admittit amor, ſed pro arbitrio ſumitur. Ex coactis matrimoniis litium fœcunda ſeges oritur, coniugales Dii violantur, & Megæra flagello ſuo animos concutit, cauſaſque ſempiternas querelarum nectit. Aut amat aut odit mulier, non habet tertium. Adde quod hic de individua vitę cõſuetudine iungenda agatur. Quod ſi pater filium filiamve ad nuptias cogere non poſſit, plus iuris habebat Princeps Reip. quam Prin-

ceps familię?huc pertinet l.134. in pr.ff.de verb. oblig. l.12.& l.13.C. de Nupt. l.21. & l.28. ff. de Ritu nupt. iuncta l. 2. C. de Inutil. ſtip. Quinetiam Impp. Honorius & Theodoſius Auguſti ex reſcripto per ſubreptionem tales nuptias peti prohibuerũt,&pœnę loco amiſſionem bonorum & deportationẽ iis inflixerunt, neq; iuſtos legitimoſque liberos ex tali conjugio procreatos ſe habituros affirmant,neque veniæ indulgentiam conceſſuros. Vide l.1. C. Si nuptiæ ex reſcript. pet. Quin & illud vetitum, ne quacunque præditus poteſtate circumvenire vel metu imperii cogere ad nuptias mulieres,quę ſuę ſubſunt iuriſdictioni, audeat: & pecuniaria mulcta illi impoſita,qui id in animo habuerit l. un. C.Si quacunq; prædit. poteſtate. Etſi autem cogere ad matrimoniũ Princeps non poteſt,in potentio-

rum

rum tamen nuptiis eius conſenſum requiri iudicavit conſulta antiquitas. Quippe ſi amicitiæ coniugio nixæ fuerint, ſi vires ita augeantur, ut periculum immineat Reip. prohiberi talis coniunctio legitime poteſt. Philiſtus filiam Leptinis, qui frater erat Dionyſii Siculorum tyranni, inſcio Principe in uxorem duxerat. Philiſtus in exilium actus, uxor carceri tradita. Et Seneca ſapientiæ magnus autor Iphicratem Athenis accuſatum tradidit, quod filiam Regis Thracum in matrimonium ſibi aſciviſſet, poſtquam fœdus ictū eſſet. Ioſephus quoq; fidei maximæ hiſtoricus eadem de ratione Salomeam Herodis ſororem à Pherora accuſatam refert, quod Sylleo cuidam provinciæ rectori non conſulto Principe nubere animo deſtinaſſet, convictamque veniam criminis impetraſſe. In genere tamen ne-

que

que Principis conſenſus requiritur, neque idem adimere facultatem coniugii ſubditis poteſt. Quippe matrimonium iuris naturalis. Ius autem naturale ſuper legem eſt, ſuper Imperatorem. Vlterius quæro, an Princeps ex poteſtate ſua teſtamenta ſubditorum reſcindere poſſit. Si hæres inſtitutus eſt hoſtis Reip. vel inde Reip. aut Principi ultimum immineat periculum, reſcindi poſſe nullum dubium eſt. Salus Reip. ſuprema lex eſt. Extra hunc caſum: ſi teſtamentum iure factum ſit & hæres ſit capax, reſcripto Imperatoris reſcindi nequit l. 10. C. de Teſtam. l. 5. C. de Revoc. donat. De iis enim quæ dominii noſtri ſunt, Princeps diſponere nequit. l. 12. C. de R. V. l. 3. C. de Reſc. vendit. l. 9. C. de Donat. ant. nupt. & l. 4. C. de Emancipat. Quid autem eſt teſtamentum? eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de

co

eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. l.1. ff. de Teſtam. Quin et teſtamentorum factio iuris gentium cenſetur. Quam reſcindere ſupra poteſtatem Principis eſt. Unde ſequitur, neque alios contractus infirmare, neque proprios reſcindere jure gentium Principem poſſe. Textus nobilis in l. 2. C. ne Fiſcus rem quam vendidit evincat. & arg. in l. 15. ff. de Public. & vectig. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea quæ invicem placuerunt ſervare? Vlpianus Ic. appoſite dixit in l. 1. ff. de Pact. Ipſa illa divina majeſtas quæ nullis legibus continetur, ſanctiſſime tamen ſe religionem iuramenti obſervaturum pollicetur. Quid Princeps, qui imaginem hic Dei in terris gerit? ad radios divinæ poteſtatis ſe non componet? fides in Principe tanquam ſidus aliquod iubar ſuum ſpargit diffun-

funditque l. 8. C. de ſumma Trinit. Illa ubi ſuis tenebris tegitur, nox veluti perpetua tali regno populoque incumbit. Vide Baldũ in l. 1. ff. de conſtitut. pecunia. Id generis igitur reſcripta contraius elicita nullius cenſentur momenti, & ea demum valent quæ non lædunt alium, vel ſi criminis indulgeatur venia l. 7. C. de Prec. Imp. offer. Princeps itidem ſententiam paſſos ſolus vi poteſtatis reſtituere poteſt. Ita nemo commeatum remeatumque exuli concedere poteſt quam ſolus Imperator. l. 4. ff. de Pœn. Quin ne quidem Præſes Provinciæ reſtituere eum quem damnaverit, ſi innocentia eius poſtea conſtiterit, poterit, cum nec pecuniariam ſententiam revocare poſſit l. 1. §. ult. in fin. ff. de Quæſt. Formula illibatæ reſtitutionis in l. 1. C. de ſentent. paſſ. & reſtit. deſcribitur. Ita enim

nim loquitur Antoninus Auguſtus: Reſtituo te in integrum provinciæ tuæ. & adiecit: Vt autem ſcias quid ſit in integrum reſtituere, honoribus & ordini tuo & omnibus cæteris te reſtituo. Cæteroquin generalis Principis indulgentia dignitates ademptas non reſtituit, neque integra atque illibata exiſtimatio habetur. l. 7. C. eod. Quinet in univerſum omnibus facultatibus reſtituitur, & poſſeſſor bonorum fructus etiam perceptos reddere cogitur l. 19. ff. de Vſur. & fruct. Porro certis terminis & cancellis annorum dignitates olim concluſas eſſe cordata voluit antiquitas. Neque deſultorio gradu ad ſuprema honorum quis promovebatur. Ad Conſularem dignitatem nemo melioribus temporibus promovebatur, niſi is qui quadrageſimum & tertium attigiſſet annum. Audi

di Ciceronem Philipp. 5: Quid Alexander Macedo? qui cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpiſſet, tertio & trigeſimo anno ætatis mortem obiit, quæ ætas noſtris legibus decem annis minor, quam Conſularis. Et hic finis omnium dignitatum. Matura hæc ætas ſtabilis, iudicii tenax, & commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret. In iuventute contra virent genua, non conſilia, quæ ut plurimum inconſulta & temeraria, & pectoris fere ubique eos urget nimius fervor, nonnunquam & ambitio urit flagellatque. Annorum tamen veniam Principem concedere potuiſſe oſtendunt antiquorum monumenta. Dolabellam Cæſar creavit Conſulem annos natum viginti & quinque. Quin & viceſimo anno creatos Conſules pro arbitrio Principum, l. un. ff. de offic. Conſ. &

l. 20.

l. 20. §. ult. ff. de Manumiſſis vind. innuunt. Penes ſupremam quoque maieſtatem ſemper fuit arrogatio, antiquis quidem temporibus penes populum, tralatitia mox poteſtate penes Principem. l. 2. ff. de Adopt. Principis autoritate adoptamus eos, qui ſui iuris ſunt, quæ ſpecies adoptionis dicitur adrogatio, quia & is qui adoptat, rogatur, id eſt, interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus ſit, iuſtum ſibi filium eſſe, & is qui adoptatur, rogatur an id fieri patiatur. Tradit Aulus Gellius nitidiſſimus autor, arrogationem dictam, quia genus hoc in alienam familiam tranſitus per Populi olim rogationem fieret. Eius autem rogationis ſolennia hæc fuiſſe verba docet: Velitis, iubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam iure legeque filius ſiet, quam ſi ex eo patre matreque familias natus eſſet: utique ei vitæ neciſq;

in eum poteſtas ſiet, uti pariendo filio eſt: hoc ita ut dixi, ita vos Quirites rogo. Quin & ætas eius, qui arrogare cupiebat, ſpectabatur & valetudo, an integræ illi ad ſobolem procreandam vires, neque Principis vel eius penes quem ſuprema eſt maieſtas indulto opus eſſet. l.15.§.2.ff.de Adopt. Nãque ita ſibi mulierem matrimonio ſtabili iungere, propriamq; dicare, iuſtoſque expectare liberos poterit. Si ex vinculo coniugali idem conſequi poſſit, non oportet implorare opem Principis, niſi alia iuſta cauſa ſit arrogandi, veluti ſi coniunctam ſibi perſonam velit adoptare. d.l. 15. Matrimoniis fulciuntur civitates, & naturalium parentum reciproca ut plurimum benevolentia adurit præcordia multo fortius, quam quos Princeps ex reſcripto indulſit. Neque enim Princeps ſanguinem extraneum in proprium mu-

tare poteſt. Omnis veritas ſupra fictionem eſt. In adrogarionibus cognitio hæc quoq; vertebatur, ne forte turpis cauſa adrogandi ſubſit, vel tutor eum adrogaverit, ne, ubi ad plenam ætatẽ pervenit, rationes illi redderet adminiſtratæ tutelæ, vel quocunq; modo bona eius qui adrogatur inſidioſe appetita videantur. Illi rei, ut Gellius lib. 5. c. 19. autor eſt, præcavendæ juſiurandum olim à Q. Mucio Pontifice Maximo conceptum dicitur quod in arrogando iuraretur. Neque vero arrogari quis poterat, niſi iam veſticeps, id eſt, qui puberem ætatem attigiſſet. Incauti ſunt pueritiæ anni, & blandiciis ſermonum facile huc atque illuc impelluntur. Non debebat itaque mollis ætas illa inſidiis arrogatorum patere. Itaque Princeps non ſolebat ea concedere, niſi appareret, ex naturali cognatione vel ſanctiſſima affe-

ctione totum illud originem ſuam habere. l.17. §.1.ff. de Adopti. Et excutiendum quoque illud erat, quæ facultates pupilli ſint, & quæ eius qui illum adoptare velit: ut æſtimetur ex comparatione illarum, an ſalubris adoptio poſſit pupillo intelligi. Deinde cuius vitæ ſit is, qui velit pupillum redigere in familiam ſuam. Quippe ſi homo præditus fuerit perditis moribus, lubricum & cereum ætatis facile poſſet ad vitiorum flectere ſocietatem, & bona eiuſdem dilapidare. l. 17. §. 2. d. t. Quin & arrogator cavebat ſe reſtituturum ea quæ ex bonis eius conſecutus fuerit illis, ad quos res perventura eſſet, ſi adrogatus permanſiſſet in ſuo ſtatu. Item non aliter eum emancipare poterat arrogator, niſi cauſa cognita dignus emancipatione fuerit; & tunc ſua bona ei reddat; ſed & ſi decedens

pater

pater eum exhæredaverit, vel vivus ſine iuſta cauſa emancipaverit, iubetur pœnæ loco ei quartam partem omnium ſuorum bonorum relinquere, videlicet præter bona, quæ ad patrem adoptivum tranſtulit. §. 3. Inſt. eod. Idem Princeps ſi iuſta & ſolennis non facta fuerit adoptio, autoritate ſua implere, confirmare poteſt l. 38. ff. de Adopt. Porro uti mulieres honore maritorum eriguntur, eorum dignitatem atque forum ſequuntur, ita ſi, cum ad nuptias ſecundas animum appulere, minoris ordinis maritum nactę fuerint, eiuſdem quoque ſequentur conditionem, atque amplectentur fortunam l. 22. §. 1. ff. ad Munic. l. 10. C. de Nupt. l. 13. C. de dignit. Nov. 22. c. 36. Indignum quippe videbatur, mulierem, quæ ſubiecta eſt mariti poteſtati, dignitate potiorem eſſe, ſed æquo animo eam

conditionem accipere debet quã elegit. Adde quod illa quæ, ût loquitur Poëta, non ſuſtinet in vidua triſtia ſigna domo, & priorum amorum obliviſci poteſt, incongruum ſit illum priorem dignitatis fulgorem retinere. Nonnunquam tamen Imperator, quanquam raro admodum, ex reſcripto illud indulgere ſolebat, ſicut Antoninus Auguſtus Iuliæ Mammeæ conſobrinæ ſuæ illud conceſſit l. ult. ff. de ſenat. Præterea libidini frenandæ & ne ex turbatione ſanguinis incerta naſceretur proles, conſtitutum fuit Prætoris edicto ut mulier defunctum maritum integrum annum lugere compelleretur. Alioquin notabatur infamia, ſi ſciens proprioque motu id perpetraſſet l. 11. ff. de his qui notantur infam. Quæ enim religionem luctus non obſervavit, quid tandem penſi habebit? Non eſt is verus amor,

qui

qui ſubito deponi poteſt. Vnde & aliæ legibus irrogatæ pœnæ. vide l. 1. C. de ſecund. nupt. Princeps tamen hoc concedere poteſt, ut intra legitimum tempus mulieri nubere liceat l. 10. ff. De his qui not. infam. An igitur Princeps turbationem ſanguinis promovebit? Nequaquam. Nam non omnibus concedet, ſed quorum continentia morumque ſanctitas conſpicua eſt; dein ſi neceſſitas urgeat, legitimis modis probari poteſt, an mulier uterum gerat. Teſtatur hoc Hippocrates lib. de Steril. & Aphoriſmo 41. lib. 5. In genere itaque ſicuti leges ita quoque privilegia concedendi ſoli Principi competit poteſtas. Hinc togæ, hinc militiæ, hinc nobilitati ſua coſtituta ſpecialia iura. Hinc primo poteſtas Academias erigendi, ubi bonæ mentis ſedes ſanctiſſimumque Palladis futu-

rum ſit delubrum, inter regalia numeratur. Sixtinus lib.1.de Regal. c.2. Principis enim intereſt, quid potiſſimum doceatur. Ipſe Socrates ſapientiæ ſuæ pœnam cicutam ſumſit, quod ea doceret quæ magiſtratus improbaret. Obiectum illi crimini, & vitio verſum fuit, quod incognita numina Athenienſibus imponeret. Vnde illum multo ſale atque aceto perfricavit mordaciſſimus Ariſtophanes. Hinc Imperatores Theodoſius & Valentinianus in l. un. C. de ſtud. liberal. eos infamia notant atque urbe interdicunt, qui ſibi uſurpant publicam docendi autoritatem. Quinet auguſtiſſimum illis locum conceſſere erudiendæ iuventuti. Ipſum nimirum Capitolium, maieſtatis ſedem. Quo innuebatur Principis illos auctoritate munere ſuo uti, & maieſtatem literarum cum maieſtate imperatoris

iun-

iungendam eſſe. d. l. un. C. de ſtud. liber. Sicut enim duobus vinculis fulcitur Reſp. armis & eruditione, ita utriuſque arbitrium penes Principem eſt. Ubi altera poſcit opem res, & coniurat amice, beata Reſp. Neque enim minus provident eruditi humano generi, quam ſi præliis atque vulneribus patriam & parentes ſalvarent, ut loquntur Impp. in l. 14. C. de Advoc. div. Iud. Nobilitas quoq; à ſolo Principe conceditur. Etſi enim nobilitas ſola eſt atque unica virtus, neque pretium à Principe accipit, ſed ſuis contenta eſt inſignibus, quia tamen Princeps Dei immortalis imaginem hic in terris gerit, eiuſdem eſt virtutes approbare honoribuſque extollere illos, quorum de meliore luto ficta ſunt præcordia. Cum autem penes Principem fons ſit & ſcaturigo omnis Nobilitatis, ſolius quoque

eius poteſtati recte ſubjicitur ius inſignia nobilitatis concedendi: præcipue cum eidem competat, privilegia atque immunitates concedere, atque iis qui contra ierint flamma ſit ultimum ſupplicium l. 1. C. de Immun. nem. conced. Quę tamen dignitas extra iuriſdictionem Principis non extenditur. Vaneſcit illico Nobilitas, ubi terminum ſui territorii exceſſerit. Quid ſi igitur Princeps ad nobilitatis aliquem evexerit faſtigium, quem perditis moribus fuiſſe conſtat, cunctiſque admodum vitiorum infectum eſſe ſordibus, an pro illo habebitur, quem eſſe voluit Princeps? Dixit quidem imperator Conſtantinus in l. 2. C. de Dignitat. Neque famoſis & notatis & quos ſcelus aut turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cætu ſegregat, dignitatis portæ patebunt. Si tamen

men talem elegerit Imperator, de Principali iudicio diſputare non oportet, modo conditionem eius non ignoraret. Sacrilegii enim inſtar eſt dubitare, an is dignus ſit quē elegerit Imperator l. 3. C. de Crim. ſacrileg. iuncta l. 5. C. de Diverſ. reſcr. Arcana enim atq; abdita rationum in Principe inveſtigare hominis privati non eſt. Nam & merita poſſunt præpollere, atque offuſcare vitiorum cloacam, vel vitâ in melius mutatâ: regia res eſt ſuccurrere lapſis. Si tamen in iiſdem infamibus perſiſtant moribus, quia ſeipſos indignos iudicarunt, iterum honorum exuuntur inſignibus, & plebeiorum numerum augent l. 12. C. de Dignitat. Cæteroquin vitæ anteactæ turpitudo non nocet, cum Princeps cum eius moribus veluti diſpenſaſſe videatur arg. l. 57. ff. de Re Iud. Poteſt itidem Princeps naturæ impe-

tum

tum corrigere, atque naturales liberos natalibus reſtituere Nov. 89. c. 9. nimirum ſi quis habeat nullam legitimam prolem d. c. 9. ex plenitudine tamen poteſtatis fieri illud poſſe aſſeruere magni iuris autores, Peregrinus de Fideic. art. 23. n. 36. & Gailius lib. 2. obſ. 142. n. 1. Neque vero omnibus legitimationis vim applicare poteſt Princeps. Quid enim ſi ex adulterio vel inceſtu procreati ſint? Princepsne peccata fovebit, & ſanguinis turbabit neceſſitudinem? Ita impunitatis ſpes alios incitabit, urgebit, & libidinum horrenda fieret confuſio. vide l. 1. C. de Natural. lib. Dein legitimari illi tantum poſſunt, qui fingi poſſunt ex matrimonio ſuſcepti. De eo autem qui caput collimavit cum alterius uxore, vel ſanguinis vincula rupit, dici hoc nequaquam poteſt. Nonnunquam

quam tamen etiam in prohibitis nuptiis procedit legitimatio. Ita inter avunculum, & ſororis filiam, nullum nuptiale intercedere poteſt vinculum. Imperator Zeno nefandiſſimum ſcelus appellavit. in l. 2. C. ſi nupt. ex reſcript. pet. Si tamen error intervenerit, legitimare liberos poterit. Audi hic Marcianum in l. 57. ff. de Ritu Nupt. Divus Marcus & Lucius Imperatores Flaviæ Tertullæ per Menſorem ita reſcripſerunt: movemur & temporis diuturnitate, quo ignara iuris in matrimonio avunculi tui fuiſti, & quod ab avia tua collocata es, & numero liberorum veſtrorum. Iccircoque, cum hæc omnia in unum concurrant, confirmamus ſtatum liberorum veſtrorum eo matrimonio quæſitorum, quod ante annos quadraginta contractum eſt, perinde

atque

atque ſi legitime concepti eſſent. Nonnunquam quoque ſacramento aliquem ſolvere Princeps poterat, ſi caſus emergat inexpectatus. Tiberius equiti Romano gratiam iuriſiurandi fecit qui iuramento antea aſſeruerat, ſe nunquam uxorem repudiaturum eſſe. Deprehendit eam in ſtupro generi. Religioni obſtabat tanti ſceleris iniuria. Princeps juſiurandum remiſit. Ita Severus quoq; & Antoninus reſcripſere, gratiam ſe facere iuriſiurandi ei, qui juraverat ſe ordini Decurionū non interfuturum, & poſtea Duumvir creatus erat. l. ult. ff. ad Municip. Solus quoque Princeps per reſcriptum ius nundinarum concedere ſolet. Quo tempore nullæ privati debiti fieri poſſunt exactiones. l. un. C. de Nundin. Quod ius decennii tempore non utendo quis amittit. l. 1. ff. de Nund. In genere

idem

idē omnes tribuit immunitates. per tot. tit. ff. de Iure Immun. Porro in Principe ſumma quoque iudicandi hæret poteſtas, ius gladii omneſq; adeo Iuriſdictiones ab eo procedunt, ſicuti flumina à fontibus ſuis devolvuntur. Hinc & iudicia arripere, ubi lubitum, ſuo iure ſupremus magiſtratus poteſt. Iudicium ſolvitur, inquit Ic. in l. 58. ff. de judic. vetāte eo qui iudicare iuſſerat, vel etiam qui maius imperium in eadem Iuriſdictione habet. Iuriſdictiones tamen ordinarias tueri, conſervare, ſolet Princeps, neque facile iudiciorum ordinem invertere, poteſtatem iudicibus eripere. Quæſtio nobilis hic occurrit. Si contractus initus fuerit ſecundum leges peregrinas, an Iudici, cui data facultas ſecundum leges præſcriptas iudicandi, an vero Principi; vel qui Principis perſonam gerunt, iudicandi poteſtas incùm-

incumbat. Primo quidem ſecundum leges peregrinas, ubi contractus initus eſt, niſi illæ leges plane iniquæ ſint, id eſt, naturalem rationem elidant, vel utilitati publicæ reſiſtant, iudicandum eſſe, explorati iuris eſſe arbitror. Nam & Vlpianus Ic. dixit in l. 34. ff. de Reg. Iur. illud ſequendum eſſe in contractibus, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur. Similes textus ſunt in l. 6. ff. de Evict. & in l. 1. ff. de Vſur. ubi Iuriſconſultus quoque decidit, quid dicendum ſi contrariæ fuerint Patriæ leges. Ita enim reſpondet, cum iudicio bonæ fidei diſceptatur, arbitrio iudicis uſurarum modus ex more regionis ubi contractum eſt, conſtituitur, ita tamen ut legem non offendat. Simili modo dixit Imperator, lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præſcripta eſt, iudicetur, quatenus ei nulla noſtrarum

rum legum adverſatur. l. 9. ad L. Rhod. de Iact. Ex quibus apparet, nonnunquā quidē Iudici incumbere, ut ſecundum leges peregrinas iudicet, ſi puta contractus alibi initus fuerit, ea tamen diſtinctione, ut iudiciarius legitimus & conſuetus ordo obſervetur, quia ad deciſionem cauſæ non pertinet. arg. l. 8. C. de Iudæ. & Cælic. Ita diſtinguit poſt alios Guido Papa Qu. 262. & conſ. 218. in fin. vide quoque Fabrum in Codic. ſuo Fabriano lib. 1. tit. v. Def. 111. Si tamen contrariæ ſint Patriis leges vel iniquæ, ex ſuperioribus quoque legibus liquet, ſubſiſtere Iudicis officium, quia magis Politica quam Iuridica eſt diſceptatio. Itaque Principis implorari debet auxilium, cuius ſolius eſt obſcuras lites dirimere, ęquitatē examinare ne Reſp. inde noxā aliquam contrahat. Quo pertinent textus

nobiles in l. 1. & l. ult. C. de Leg. In l. 1. reſpondit Imperator Conſtantinus, inter æquitatem iuſque interpoſitam interpretationem nobis ſolis oportet & licet inſpicere. Nimirum ubi leges obſcuræ, contrariæ & iniquæ videntur. Cæteroquin ubi mens certa Legiſlatoris apparet, iuxta æquitatem leges extendere iudici non tantum licitum, ſed etiam imperatum eſt. l. 8. C. de Iud. In aliis caſibus ſtrictum ius ſequi oportet. l. 12. §. 1. ff. Qui & à quib. manum. Ita ut legum momenta quam arctiſſime ſervet. Lex eſt veluti publica moneta Reip. quam qui ullo modo temerat violatarum legum tenetur. Quãta autem circa leges poteſtas ſit Principis, copioſe & elegãter decidit Imperator Iuſtinianus in l. 12. C. de leg. Definimus, inquit, omnem Imperatorum legum interpretationem, ſive in preci-

precibus, ſive alio quocunque modo factam, ratam & indubitatam haberi. Si enim in præſenti leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari ſolo dignum imperio eſſe oportet. Cur autem ex ſuggeſtionibus Procerum, ſi dubitatio in litibus oriatur & ſeſe non eſſe idoneos vel ſufficientes ad deciſionem litis illi exiſtiment, ad nos decurratur? Et quare omnes ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiunt noſtræ, ſi non à nobis interpretatio mera procedit? Vel quis legum ænigmata ſolvere & omnibus aperire idoneus eſſe videbitur, niſi is ſolus cui legiſlatorem eſſe conceſſum eſt? Iudicia itaque arripere etiam ipſe Princeps poteſt d. l. 18. Poſt eiectos reges ne quidem abſolute Romano Magiſtratui licuit non obedientem &

noxium civem multa, vinculis verberibuſque coercere. Lege enim Valeria provocatio ad populum inſtituta, quæ erat libertatis vindex; maieſtatis propugnaculum, patrona civitatis. Quinet antiquiſſimis tẽporibus libera Rep. prout incideſsẽt crimina, ita de illis vel ipſe populus cognoſcebat, aut aliis cauſę cognitionẽ mandabat. Etiam tum temporis cũ Prætores ordinarii creati, ſelectique Iudices, cum quęſitore cauſas criminales cognoſcerent, ſi quid grave incideret, ad populum tanquam ad ſacram anchoram confugiebant. Sub Principibus tanta quidem poteſtas data fuit Præfectis Prætorio, ut ab illorum ſententia vetita eſſet appellatio l.un.§.1.ff.de offic.Pręf. Præt.l.19. C. de Appellat. Imperatores, tamen iis qui iudicio ſuccubuerant, ſupplicandi licentiam ultimamq; provocationem conceſſe-

ceſſerũt l. un. §. 1. de ſẽt. Pręf. Pręt. quæ & retractatio dicitur l. 21. C. de Fid. Inſtrum. l. ult. C. de Tempor. & repar. appell. & Nov. 82. c. 12. Sed dicat aliquis, etiam à Regibus etiam à Dictatoribus Romanis, qui ſuprema gerebant faſtigia dignitatum, ad populũ fuit provocatio. Non igitur iudicia ſuo iure Principi competunt. M. Horatius cum ſororis cæde ſanguinolentas maculaſſet manus, quæ intempeſtive propter ſponſi necem lachrymas fuderat, ut Valerius lib. 8. c. 1. loquitur, interfectæ ſororis crimine à Tullo Rege damnatus eſt, ad populum provocato iudicio abſolutus eſt. A Regibus ad populum provocationem fuiſſe Livius lib. 8. Seneca Epiſt. 108. prodiderunt. An igitur Princeps vela dabit populari auræ, & iudicium accipiet à populo, maieſtatemque frangi permittet? Nequaquam. Sciebat Tullus Ho-

ſtilius ingratum hoc fore populo, eum ad mortem condemnare, qui libertatem illis peperiſſet. Indignitas tamen facinoris excuſari nequibat. Quid enim crudelius quam mulierculæ violentas manus injicere? quid ſorori eiuſdem ſanguinis ſociæ? Sponſi necem illa ploravit, meruerat hoc facinus ut cum lachrymis ſanguinem effunderet ferroque vitam finiret? Prudenter itaque Tullus iudicium illud à ſe avertit, auctorque fuit Horatio ut ad populum propocaret, ſicuti Livius prodidit. Remiſit itaque auctoritati ſuæ, non vero populo illud ius competebat. Primum hoc populi fuit iudicium de criminibus, Dionyſio lib. 3. autore, atque adeo etiã, niſi fallor, ſub Regibus quoque extremum. Idem quoque ius Dictatorum fuit, qui liberi exſolutique legum vinculis: ab eiſdem nulla antiquioribus temporibus

fuit

fuit provocatio. Dictator quidem cum Fabium Magiſtrum equitū, qui iniuſſu eius cum hoſte manus conſeruerat, cōdemnaſſet, populus precibus interceſſit. Vtique ſi ultima eſſet provocatio penes populum, iura maieſtatis confunderentur. Maieſtatem quidem à populo originē trahere, propter populū bene moratos reges conſtitutos non eo inficias. Verum ubi ſemel vaga multitudo unius imperio ſe dedit, illius quoque veluti ſpiritu regitur, ratione flectitur, conſilio ſuſtinetur. Ex his quæ diximus facile illa ſolvitur quæſtio, quæ Ictos in brevia & ſyrtes diſputationum adegit, an penes magiſtratus merum quoque ſuo iure conſiſtat imperium, an vero ſoli Principi, qui cuncta nutu ſuo moderatur, illud ius tribuendum ſit. Principes quippe Romani huius imperii tantum uſum atque exercitionem tribuebant. Ita do-

cet nos Ic. in l.1.ff. de offic. eius cui mand. Nam & Princeps ea quæ erant iuriſdictionis ſibi reſervare poterat. Sicuti initio civitatis Romanæ cuncta à Regibus gubernabantur. l.2.§.1. de Orig. Iur. Cum enim tanta rerũ varietas atq; multitudo in imperiis ſe oſtentet, ut qui huic oneri ferẽdo par futurus ſit, immortalia eundem atque divina ſperare neceſſe ſit, miniſtros ei rei tam in criminalibus quã in civilibus adhibere debuit ſuprema maieſtas. Negotia quippe protrudere ſolent negotia, ſicuti unda undã excipit. Quẽadmodũ igitur gubernator navis clavum flectit, ſcopulos & vada vitat, acum magnetis, qui ſe verſus ſeptentrionẽ vergit, obſervat, ubi magno cœlũ murmure miſcetur, nimbiq; aerẽ veſtiunt, in tempore providet ne navis fluctuũ obruatur violentia, miniſtri autẽ & ſocii navales vela obliquant, attollũt vel deprimũt,

an-

anchoras iaciunt, ſentinam movēt, & ubi neceſſitas ingruit, antennas gementes dividūt, ita Princeps maiora ſibi ſervat, cętera miniſtris committit. Eleganter Tiberius conſulentibus Ædilibus an legē ſumptuariā reduci cuperet, apud Tacitū reſpondit: mihi neq; honeſtum ſilere, neque proloqui expeditū, quia nō Ædilis, aut Pretoris aut Conſulis partes ſuſtineo, maius aliquid & excelſius à Principe poſtulatur. Nimis leve eſt, de quo Ædiles admonēt, ſi cętera reſpicias. At hercle nulli dicūt, quod Italia opis externæ indiget, quod vita Populi Romani per incerta maris & tēpeſtatū quotidie volvitur, ac niſi provinciarum copiæ & dominis & ſervitiis & agris ſubvenirent, noſtra nemora ſcilicet noſtręq; villę nos tuebūtur? Hāc curā ſuſtinet Princeps: hac omiſſa fūditus Remp. trahet: reliqua, ſi quis ex magiſtratibus tātā induſtriā ac ſe-

veritatẽ pollicetur, ut iri obviam queat, illi commendamus. Neque vero dum negotiorũ moles aliis committit Imperator, majeſtatẽ minuit, ſed potius injungẽdo auget. Appoſite huc illud Cæſaris ad milites tumultuantes apud Lucanum referri poteſt:

--- Si cuncta minentur
Flumina quotquot habent pelago
ſubducere fontes,
Non magis ablatis unquam de-
creſceret æquor,
Quam nunc creſcit aquis.

Ad Principẽ itaq; pertinet magiſtratuum creatio l. un. ff ad L. Jul. de ambitu. Cum Populus faſces imperii obtineret, Lege Valeria cautũ fuit, ne quis ullũ magiſtratũ ſine provocatione crearet, qui creaſſet eum jus faſque eſſet occidi. Neve ea cædes capitalis noxæ haberetur. Nonnunquã & Dictatores in eam rem creatos, ut Senatum ſupplerẽt, Livius l. 23. cõmemorat.

morat. Sed ſcrupulus hic moveri poteſt ex Nov.15.cap.1.§.1. ubi Præfectis Prætorio datur licentia removendi à munere ſuo defenſores civitatũ. Ius itaque illud conſtituendorũ magiſtratuũ non ſoli cõpetit Imperatori. Facilis reſpõſio nulliſque intorta ambagibus. Multa largiri ſolent Principes, quorũ tamen ſupremũ ius penes illos manet. Ita merũ imperiũ Præfecto urbi ex indulto conceſſũ eſt. l.1.ff.de off.Præf.Vrb. Idem imperium in provinciis habuerũt Præſides l. 6.§.penult.ff.de offic.Præſ. item Proconſules l. 6. in pr. ff. de offic.Proconſulis. Et quidẽ ſingula quæ ad merũ imperium pertinebant, niſi ſpeciatim alicui conceſſiſſet Imperator, neutiquã cõpetebant l.1. D. offic. eius. Itaque Præſidi in inſulam deportandi ius datum non fuit, ſed inſulas ipſe Princeps adnotabat l. 6.§.1. ff. de Interd.& relegat,l.1.§.3.ff. de Legat.

gat.3. Præfecto itaq; Prætorio cõceſſa fuit hęc ſpecialis poteſtas removẽdi defenſores civitatũ, iudiceſq;. Sordidũ quippe & indignũ Principis Romani faſtigio credebatur, ut is qui habenas imperii uſque ad ſolẽ orientẽ laxaret, curã impenderet minoribus magiſtratibus. Aquila, ut in proverbio eſt, nõ captat muſcas, atque iis rebus adhęrere quę exiguum ſecum trahunt momentum, ſupra Fortunã Principis eſt. Etiam tũ temporis cum libertas Reip. effulgeret, ſoli maiores magiſtratus, Conſules, Proconſules, Pręcores, Cenſores, Ædiles, ab univerſo populo creabantur. Superiores magiſtratus inferiores ut plurimũ conſtituebant. A Pręcore iudices, à Proconſule Legati, atque ita porro ſtatuebãtur. Inprimis autẽ ſupeperiorum magiſtratuũ conſtitutio ad regalia quæ Principi ſuo iure cõpetunt refertur. Vide Molinæ-

um

um in conſuet. Pariſ. §. 1. gl. 5. n. 58. Petrus Gregorius inſignis autor lib. de Republ. ıx. c. 1. commemorat, ubi rex Galliæ mortalitatem implevit, cunctas ſadmodum dignitates vacare, donec à ſucceſſore confirmentur. Sciant tamen Principes & terrarum domini, ita ſe hanc poteſtatem à Rege Regũ & ſupremo rerũ arbitro accepiſſe, ne turpi quæſtu honorum apices divendãt, dignitates indignis tribuant; auri ſacra fames evertit Rempublicã, pauperes, quorum merita pollent, premit, divites attollit, omniumq; adeo rerũ turbationẽ affert. Nihil ſordidius, turpius, honorum licitatione, nũquam à cordato Principe admittenda, niſi ut extremis temporibus, publica argenti inopia, ſaluti civium conſulatur. Neceſſitas non habet legem, ſed ipſa ſibi lex eſt. Iuſtitia ſuccumbit, ubi aurum præponderat. Cuncta ſunt venalia

ubi

ubi venalia ſunt munera. Turpi enim quęſtu iterum quis acquirere conatur quod perdidit. Abhorruere itaque ſemper à tali licitatione laudati Principes. Inter quos M. Antoninum, & Alexandrum Severum connumerat Lampridius. Severus utique in pleno Senatu dixiſſe legitur, non patiar mercatores poteſtatum. Eadem in cauſa religioſiſſimi fuere Theodoſius & Valentinianus Imperatores. L. ult. C. ad L. Iul. Repetund. hoc indicat. In eam rem iuramentum quoque delatum, iis qui ad honorum ſurrexerant faſtigia, ſe nihil dediſſe daturumque eſſe, per ſe vel per alios, nullos contractus initos, ut ita religione ſacramenti coercerentur, d. l. ult. Cod. ad L. Iul. Repet. Marcianum quoque eadem re conſtitutionē edidiſſe Theodoretus lib. 3. tripart. Hiſtor. Iuſtinianus quoq; in præf. Nov. 8. idē cohibuit. Teſtatur tamen Proco-

pius

pius Cæſarienſis in Hiſtoria arcana, à lege lata nondum annum effluxiſſe, quin ipſe Imperator nulla habita ratione pudoris publice in foro dignitates divenderet: ſubditos omnes pecunia vendidiſſe Evagrius lib. 4. cap. 29. cõmemorat. Sed hæc privato potius ſcriptorum odio quam veritati tribuimus. Sicuti autem creare magiſtratum, ita & loco movere ſolius Principis eſt. Is ſolus poteſt dignitates infringere, removere, transferre. l. ult. §. 1. ubi Senat. vel clariſſ. Idem rationes rerum geſtarũ ſuo jure exigere poterat. Eius arbitrium pro lege erat. Inſigne quoq; ſupremę poteſtatis fuit comitia indicere, concionẽ vocare. Thucidides graviſſimus autor lib. 1. Belli Peloponneſ. ſocios Athenienſium libertatem obtinere eo convincit, quod conventus ſuo arbitrio inſtituerint. Patres tantũ cogi, rogari à ſupremo magiſtra-

giſtratu potuerunt. Itaque capita committere, de publicis cauſis privata concilia agere, atque hoc colore Remp. turbare capital habitũ fuit. Audi hic Vlpianum Ic. in l.2.ff.de Colleg.& Corpor. Quiſquis illicitum collegium uſurpaverit ea pœna tenetur, qua tenentur qui hominibus armatis loca publica vel templa occupaſſe iudicati ſunt. Rei itaque erant maieſtatis l.1.§.1.ad L.Iul.Maieſt.l.4. C.de his qui ad Eccle.cõfug. Atq; hoc Chriſtianis quoq;, cũ ſub gentilibus Imperatoribus Eccleſia gemeret, obiectum, ut Tertullianus autor eſt. Quanquã illi ſacris ſuis operati cæteris in totũ abſtinerẽt. Et in hac cauſa magis obſtricti Deo quã Principibus, modo Rẽp. non perturbarent. Principis itaq; cordati eſt, ſeditionum cauſas extinguere antequã gliſcãt ardeantque. Sępe ab exiguis initiis ea diſcordiarũ ſeges nata eſt, quę poſtea ſucci-

ſuccidi nequit. Prima quoque Principis cura eſſe debet, veneratione ſui populũ vincire. Itaque qui iniuſſu eius vetitos cœtus colit, vel aliquid contra Remp. molitur, vel Principem contemnit. Contemptus autem primus gradus ad ruinam imperii. In tali cœtu accenditur ſæpe animus ad ea, quæ nunquam auſi fuiſſent, & ut egregie alibi Tacitus, multa experiũdo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur. Sæpe ſermones eliciuntur improvidi, acres, quibus ad facta tacite inſtigamur. Sciebat hoc Dionyſius Siciliæ tyrannus, qui violentum arripuerat imperiũ. Forte in officinâ tõſoris, ut fieri ſolet, nonnulli ſermones conſerebant; ad illum apicem provectam Dionyſii dominationem, ut non facilius adamante frangi, comminuique poſſet. Cum ultro citroque hæc verba funderentur, improvido tonſori,

hæc verba exciderunt. Miror cur hæc tam ſerio vos loquamini, cum ſæpe novaculâ mentum eius radere, atque novam lanuginem docta manu reſecare ſoleam. Ob iſta verba damnatus eſt. Illicita itaque collegia conſpirationem quandam in Remp. præ ſe ferunt, d. l. 2. ff. de colleg. & corpor. De poteſtate Principis circa leges & reſcripta, circa iudicia & magiſtratus ſatis ſuperque egimus: quę ſit eiuſdem poteſtas circa arma, nobilis conſideratio eſt. Utique ferrum vibrare, atque eo oculos ſubditorum præſtringere, ſolius ſupremi magiſtratus eſt. Nulla maiora inſignia imperii, quam arma. Arma hoſtem ſubigunt, patriam defendunt, contumaciam puniunt. Sine armis nulla eſt Reſp. ſed expoſitá omnium iniuriis. Hinc ius Armandiæ, ut barbare loquar cum interpretibus, inter regalia cenſetur. Arma

itaque fabricare, divendere privatis, niſi Fabricenſibus quos in eam rem conſtituit Imperator, vetitum eſt Novell. 85. De Fabricenſibus integer titulus eſt Cod. lib. 11. Ita enim habendum ex antiquitate, undecim ſcholas ſive corpora fuiſſe eorum qui Principi miniſteria præſtabant, ut ex Notitiâ Imperii Rom. & l. ult. C. Locat. perſpicuum eſt. Quibus Fabricenſes continebantur. Illis ſolis licitum erat materiem ferri diducere, arcus curvare, quicquid ad militiam pertinet conficere. Officinæ fabricæque ſacræ novendecim in imperio Romano fuere. Octo in Galliis, ſex in Italiâ, quinque in Illyrico. Docet nos hoc Notitia imperii Romani. Fabricenſibus autem notæ, ſtigmata inurebantur, in brachiis manibuſque. l. 3. C. de Fabric. Quod & tironibus factitatũ legimus. Milites ſcriptos

 victu-

victuris in cute punctis Vegetius dixit. Idem commemorat Aëtius Medicus lib. 8. c. 12. Quinet armorum uſum in totum tollere, interdicere ſuo iure Princeps poteſt. Cum Porſena cum populo Romano fœdus percuteret, conſtitutum ne ferro niſi in agriculturâ uterentur. Itaque ſtylo ſcribere vetitum fuiſſe Plinius diligens ſed credulus admodum veterum librorum exſcriptor memoriæ reliquit. Lege Iulia de vi publicâ tenebatur, qui arma, tela, domi ſuæ agrove in villâ præter uſum venationis vel itineris vel navigationis coëgiſſet. l. 1. ff. ad Leg. Iul. de vi publ. Armorum uſum inſcio Principe Valentinianus & Valens Impp. prohibuerunt in l. 1. C. ut armorum uſus. lib. 11. Graviſſimis pœnis affectos, qui limites hic imperii tranſilirent, veterum oſtendunt monumenta. Exemplum illuſtre nobis

bis dedit Valerius Maximus lib. VI. cap. III. in Domitio. Is, cum proprætor eſſet Siciliæ, ad cohibenda latrocinia, quibus Provincia vaſtabatur, ne quis telum ullum haberet, edixerat. Forte paſtor aprum eximiæ magnitudinis venabulo proſtraverat. Innocentem hominem rigidiſſimus ſeveritatis exactor cruci ſuffixit. Crudele, impium factum, hominem occidere, quia ſetigerum noxiumque animal occiderat. Pro occiſo lupo antiquitus prẹmium concedebatur. Etiam aper vaſtatrix bellua, ſpumantique ira atquẹ excertis dentibus noxia. Neque venabulum, etſi inſertum ferrũ, telũ propriè dici poterat. Latrocinia erant prohibita, paſtor latronem occiderat, & tamen tanquam latro indigno ſupplicio vitã finivit. Prẹter hẹc, quẹ diximus, illud ſilẽtii velo præteriri nequit, gladium antiquis & pugionem inſignia
 fuiſſe

fuiſſe imperii. Nec Proprætor nec Proconſul in provinciis gladio latus tegere poterat, ut à Dione traditum. Si armorum poteſtas penes Principem ſit, eiuſdem eſſe bellum indicere nulli dubium eſt. Itaque lege Iuliâ maieſtatis coercetur qui iniuſſu Principis bellum geſſerit, dilectumve habuerit, exercitumque comparaverit. l. 3. ff. ad l. Iul. maieſt. Nulluſne igitur caſus inveniri poteſt, quo privatus ſine auctoritate Principis arma movere poteſt? Ita arbitror. Hoſtis ſubito atque ex improviſo limites imperii invadit, legiones explicat, horrida prælia miſcet, agros vaſtat, libertati tuæ imminet, utique tali caſu, quia periculum in mora, iure naturæ vim vi repellere licet: ceſſat magiſtratus auctoritas, ubi ſine certo periculo vel damno expectari nequit. Ubi magiſtratus deficit, munus eius privatus obire

poteſt.

poteſt. Quientiam ſi Principis copia haberi nequeat, & mixtum cum calamitate periculum immineat, ferrum ſtringere propriâ autoritate privatus poteſt. Vide Socinum conſ. 68. n. 61. Minores quoque magiſtratus exequi illa poſſunt, quæ quieti civitatis ſuæ, quæ frenandæ turbulentæ civium contumaciæ faciunt, arma armis opponere, niſi Principem illa cauſa concernat. Ubi imperium vaſtis concluditur terminis, ſolet illa quoque concedi poteſtas, ne Reſp. aliquid detrimenti capiat. Extra hos caſus neque minoribus magiſtratibus, neque privatis in bellum ruere proprio impetu licitum eſt. Rectè accuſatur Cn. Manlius quod iniuſſu populi Romani Gallogræcis, Cæſar Germanis bellum intuliſſent. Laudat quidē Octavium & Brutum Oratorum Princeps, quod privato conſilio

contra Antonium arma ſumpſiſſent, ſed non rei veritati verum rationi temporum velificatus eſt. Ne quidem extra ordinem ſine ſupremi magiſtratus iuſſu manus cum hoſte conſerere licitum: quid arma inferre, hoſtem arripepere, quem nondum hoſtem iudicavit ſumma maieſtas? T. Manlius Torquatus filium ſuũ, quod ſine eius iuſſu in certamen veniſſet cum Geminio Metio Duce Tuſculanorum, vita privavit, ut in cçteris firmaret imperium. Neque ingenita charitas liberorum, non tam arcta ſanguinis neceſſitudo, non flos primæ ætatis, non denique virtutis grande teſtimonium à tam atroci exemplo patrem deterruit. Neque mirum dictu, ut Frontinus commemorat, ipſe filius tam rigidæ diſciplinæ reſtitit, verũ cum pro eo intercederet militaris pubes, ſeditionum tubam accenderet, negavit ſe

tanti

tanti eſſe, ut propter ſe diſciplina vetus Romanorum corrumperetur, obtinuitq; tandem, ut mortis pœna beneficii loco ſibi infligi poſſet. Idem Poſthumium Tiburtum in filium eâdem de causâ factitaſſe legimus. Et quid Fabius? Fuſis Samnitibus, parta victoria vix Papyrii Dictatoris manus evaſit, niſi populus precibus idem efflagitaſſet, pater & adoleſcens ad genua Dictatoris procubuiſſent. Et vicit tamẽ imperii maieſtas, noxæ enim damnatus conceſſus eſt populi Romani precibus. Steſibrotus cum contra Lacedæmonios fœliciter pugnaſſet, victoriæ præmium coronam filio Epaminondas conceſſit, ſpreti imperii gladium, quo cervicem tam propinqui ſanguinis amputavit. Mandati cauſa potior eſt rebus bene geſtis. Præſtat patrem filio orbari, quam patriam diſciplinâ militari. Victo-

ctoriam quis Imperatoris iniuſſu obtinuit? Maior victoria ſeipſum vincere, neque in pugnam prorumpere, ubi pugnādum non eſt. Et quid ſi victus fuiſſet? Incerta, vitrea eſt cruenti Martis alea, & quæ tum ſæpe, cum maxime ſplendet, exiguo negotio frangitur. Præſtat victum eſſe quam victorem, modo anima Reip. conſtet, diſciplina militaris, qua polluta cuncta militaria officia turbantur, idem Ducis militiſque munus erit. Neque igitur minoribus magiſtratibus, neque privatis iniuſſu ſuperioris bella movere, præliis hoſtem laceſſere, manus conferre licitum. Multo minus armis reſiſtere legitimo Principi vel ſubditis vel minoribus magiſtratibus licitum eſt. Id paſſim ſacra pagina certiſſima veritatis amuſſis docet, cōfirmant antiquorum Patrum placita, fidem quoq; profanæ literæ

altruunt

aſtruunt. Certis tamen cancellis ſtringi hęc debent, quæ hactenus in medium attulimus. Si enim imperium legibus quibuſdam atque conditionibus à populo conceſſum ſit, ubi nullam honeſti & æqui rationem habet Princeps, pacta conſtituta tranſilit, in leges atque Remp. peccat, vi removeri, & quod plus eſt morti addici poteſt. Lacedæmonii Pauſaniam ad extremam horam damnarunt. & aliquoties Reges regni oneribus minus idoneos quiq; Rēp. negligerent, deſererent, ipſi quoque deſeruerunt, repudiarunt. Nonnunquam & tale eſt imperium, ut partē ſibi vendicent Senatus Proceresque, ſi totum illud vel artibus vel violentia ad ſe trahere conetur Princeps, iuſte arma opponi poterunt. Ita in Batavia hac noſtra fatalia plerunq; eruperūt diſſidia, ubi Comitū laxarentur habenæ, Procerum legitima vel con-
temne-

temnceretur vel conculcaretur autoritas. Contra eum itidem qui immani crudelitate in populum ſuum graſſatur, ſanguinē civium ſitit, exterarum gētium dominationē contra ius & fas in ſui Principatus gremio nutrit, ſtabilit, ſi nullo modo mitigari poſſit, ſtringi quoq; arma poſſunt. Princeps enim veluti tutor vel potius pater debet eſſe imperii ſui. Si parēdum in omnibus eſt Principi, in eo parendum amplius non eſt, quo efficitur, quod ne Princeps quidem amplius eſt. Iidē ſi ſuperior ſuas ditiones alteri tradere ſine conſenſu populi velit, iuſta vi reſiſti poteſt. Si regno ſe abdicaverit, iuſta de cauſa cōtra eū, ut extraneū, gladios quis ſtringere poterit. In genere ſi deſtructor ſit imperii, atq; civium ſuorū cervicibus immineat. Talis fuit portētū illud hominis C. Caligula, qui queri de felicitate ſuorum temporū ſolebat,

quod

quod nullis calamitatibus publicis inſignerentur, quod nulla ſanguinis effuſio tellurem inficeret, nullum peſtilentiæ venenum homines infeſtaret, nullus agrorū hiatus integras civitates abſorberet: qui integros exercitus ferro ſubiicere in animo habuerat. Talis Nero, qui Romanam urbē, terrarum dominam imperiiq; ſedem igne fœdaverat. Talis Vitellius, qui occiſorum civium fœtorem naribus ſuis gratiſſimum eſſe prædicabat. Propter tam immania publica vitia quin Principi reſiſtere licitum ſit, ius naturæ dictat. Propter privata vitia intentare Principi manus nequaquam licitum. Aliquis in Venerem putris eſt libidinumque ſervus, non tam imperio, quam ſibi peccat. Alicui ex ebrietate turgēt venæ; modo ſtationem imperii non deſerat, pelli de ſolio non poteſt. Vitiis nemo ſine naſcitur; opti-

mus ille eſt, inquit Poëta, qui minimis urgetur. Nemo autem Principem ex ſorte mortalium eximet. Egregie alibi Tacitus: quemadmodum ſterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ſic luxum & avaritiam dominantium tolerare debemus. Etiam frena ferre duriora indomiti caballi eſt. Fortunam populi in ruinam agit, qui abrumpit rigidius capiſtrum. Patienter ferendũ eſt, quicquid corrigere eſt nefas. Imperatori, ut eleganter alibi Vegetius, cum Auguſti nomen accepit, tanquam pręſenti & corporali Deo fidelis eſt præſtanda devotio, & impendendus pervigil famulatus: Deo enim vel privatus vel militans ſervit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore. Si quis autem legitimus Princeps contra Rempubl. inſurgat, non ſtatim unicuique ex infima fece hominum

ſed

ſed ſoli magiſtratui ea competit poteſtas. Recte alibi Paulus IC. dixit, non eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publice poteſt fieri, ne occaſio fiat maioris tumultus. Diſtinguendum autem eſt inter legitimum Principem, qui contra Rempubl. inſurgit, cui reſiſtere ſoli, ut modo dixi, magiſtratui licitum eſt. Si quis autem inſignia imperii rapiat, violentaque manu ſe Principem conſtituat, unicuique etiam privato interficere licet. Hoc docet apud Romanos lex Valeria, quæ permiſit ſine ullo ordine iudicii eum occidere, qui dominationem tantum concupiſceret, ut Plutarchus in Publicola autor eſt. Huc pertinet totus titulus C. Quand. lic. unic. ſe vind. Quod tamen negandum de eo, qui ex iuſta cauſa belli hoſtẽ devicit, victis leges poſuit, inſignia imperii erexit. Nã is iure gen-

gentium legitimus habetur magiſtratus. Quinctiã qui tyrannum occidit ex aliâ cauſâ quam publica, reus tamẽ eſt homicidii. Movet hanc controverſiam Seneca. Lex erat: Tyrannicidæ præmium detur. In adulterio deprehenſus à tyranno, gladium eidẽ extorſit, occidit eum. Præmium petit: cõtradicitur. Neq; enim occiderat tyrannũ, ut Remp. verum ut ſeipſum liberaret. Omnia opera voluntas inchoat, occaſio perficit. Meruerat mortem tyrãnus, non tamẽ ex iuſta cauſa occiſus, autor cędis etiam mortem meruit, quia ſcelerato adulterii crimine ſe maculaverat, & ſimul homicidio. Fortuna vel potius Deus immortalis iuſte punivit perturbatorem Reip.; iniuſte tamen adulter occidit. Notandũ porro illud quoq; eſt, à malo initio ad legitimum poſſe aliquando perveniri Principatum. Exemplum habemus in Iulio Cęſ.

qui

qui imperandi æſtu flagrans totum terrarum orbem civili ſanguine aſperſerat, multa inſolenti ſuperbia ad ſe traxerat, tandem vero corpus vulneribus, ſanguine curiam cõiuratorũ ope implevit. Quæritur an recte cęſus. Nam volente populo acquiſiviſſe ſibi Principatum videbatur. Itaque non vi ſed beneficio accepit. Non ingratis civibus, inquit Florus, omnes in unum Principem congeſti honores, circa templa imagines, in theatro diſtincta radiis corona, ſuggeſtus in curiâ, faſtigium in domo, menſis in cœlo, ad hoc pater ipſe patriæ, perpetuuſque dictator. Eatenus non iure cæſus videtur. Si quis tamen conſideret illa faſtigia honorum coactos metu dediſſe, forſan aliter dicendum eſt. Utique tamen poſito eo, coniuratos iure Cæſarem interemiſſe, ex aliâ tamen cauſa tanquam perturbato-
 res.

res Reip. ſeditionumque faces & turbines puniri poterant. Ita enim tunc erant comparata tempora, ut à tyrannicidio everſio totius Reip. penderet. Itaque ipſi patriæ vulnera inflixere longe graviora quam ea quæ fuere Iulii Cæſaris. Intremuit fere totum genus humanum & ſanguine ſuo paucorum perfidiæ litavit. Sed latius forſan divagamur atque æquum fuit, convertamus nos iterum ad ea quæ materiam noſtram concernunt. Arma itaque movere, bellum indicere, ſoli tantum competit imperatori. Ubi legitimus Iuris ordo in iudiciis nō valet, ibi ius poſtea in armis publicis conſiſtit. Nā & publica hic, ut dixi, Principis requiritur autoritas. Privato ne quidem arma geſtare inſcio Imperatore Iure civili licet. Sed primo omnium hic quæſtio oritur, an jure Naturæ bellum ſit licitū.

Quo-

Quomodo enim homicidium cum admittunt ſinguli, crimẽ eſt, cum publice geritur, virtus incipit vocari? ut recte dixit Cyprianus ad Donatum. Quomodo vis publica non adverſatur Naturæ? Vera dicis, ſi audias requiſita belli. Neque enim bellum pura eſt & ſolida vis. Habet & ſua iura, leges, auſpicia. Recte alibi dixit M. Tullius Cic. cum ſint duo genera diſceptandi, unum per diſceptationẽ, alterum per vim, confugiendum eſt ad poſterius, ubi uti non licet ſuperiore. Docet Auguſtinus ex Cicerone nullum bellum à civitate optima recte ſuſcipi niſi pro fide vel ſalute. Quę ſi concurrant dubium eſt an fides, an ſalus præponenda. Saguntini certe univerſam ſuam civitatem perire maluerunt quam fidem frangere. An recte? Laudantur certe à probatiſſimis ſcriptoribus. Ego certe tali caſu ſalutem præ-

pono fidei. Nunquid enim non ipſa hoc docet Natura, ut vitam noſtram quocunque modo ſervemus? Quid de civitatis itaque ſalute dicendum, quæ tanto potior eſt, quanto publica præſtant privatis? Recte Cic. dixit, ita debere conſtitutam eſſe civitatem, ut æterna ſit. Itaque nullus interitus eſt Reip. naturalis, ut hominis, in quo mors non modo neceſſaria, ſed optanda ſæpe eſt. Civitas autem cum tollitur, deletur, extinguitur, ſimile eſt quodammodo, ut magnis parva conferamus, ac ſi omnis hic mundus intereat & concidat. Dico itaq;, ubi pro ſalute & fide bellum ſuſcipitur, iuſtum atque legitimum eſſe, & naturæ convenire, ſin ſecus, deteſtandum. Peſſime enim à Brenno olim dicebatur, bona humilium non minus pertinere ad ſuperiores, quam inferior locus naturaliter ſuperiori ſervit.

Eum

Eũ, qui prævalet opibus, ſemper & agere & dicere exiſtimandũ æquiora. Nam tale bellum omnis averſatur recta ratio. Bello utendum ad iniurias propulſandas & ad pacem. Quæſitum an bellum licitum eo titulo, ut cogãtur aliqui ad Chriſtianam fidem? Quale cruentum illud Hiſpanorum in Indos bellum fuiſſe legimus. Religionis proculdubio Chriſtianæ propagandæ cauſa maxima eſſe debet, ſed hoc titulo bellum indicere, ad fidem cogere, adverſatur ipſi legi Chriſtianæ. Ipſa ſacra Scriptura hoc innuit Matth. 13. 24. Luc. IX. 54. Naturalibus præceptis non conſiſtunt arcana religionis Chriſtianæ. Nulla religio metu ſed conſcientiâ conſiſtit. Quis autem conſcientiã mutabit, niſi qui eam inſevit Deus Opt. Max.? Recte dicit canon concilii Toletani, præcipit ſancta Synodus nemini deinceps ad credden-

dum vim inferre, cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat. Iniuſtiſſimũ itaque Hiſpanorum in Indos occidentales illud bellum fuit. Quid dico bellum? Imo laniena. Quis enim horrendam illam Indorum ſtragem, & lentam Attabalipæ mortem ſiccis oculis vel audit vel legit? Quæ cauſa? Chriſtiani non erant. Sed an vos dicendi Chriſtiani, qui innocentiſſimo ſanguine fidem maculaſtis? an hoc Chriſtianum, promiſcue incendiis, rapinis, exquiſitiſſimis cruciatibus in eos ſævire, qui ne mortis ſuæ quidem cauſam ſciebant? Recte regulus Barbarorum Attabalipa iudicabat, aut Deum Hiſpanorum peſſimum aut indulgentiſſimum eſſe, quod tantis ſceleribus conniveret. Ex his apparet, quid dicendum ſit de bello contra Hæreticos indicendo. Docuimus alibi, quomodo in tua

Iuriſ-

Iuriſdictione contra hæreticum procedes. Odioſum hinc carnificis abeſſe debere vocabulum. In hæreticos alterius ditionis nullum ius, nullum imperium quis habet. Quare neque bellum iis indici poterit. Audi Auguſtinum cum de Manichæis loquitur: Illi ſæviant in vos, qui neſciunt quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſęviant, qui neſciunt quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quantis gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacuque parte poſſit intelligi Deus. Poſtremo illi in vos ſæviant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Numquid igitur nulla

pro religione bella licita? Utique pro tuenda & conſervanda, etiam Ethnico etiam Hæretico. Nulla res tenerior, quam religio. Qui eam qualemcunque non conatur tueri, iam ſceleratus eſt. Etiam in peſſima religione pius quis eſſe poteſt. Quę omnino tuenda, conſervanda. Unde & Auguſtinus exiſtimat auctum à Deo Imperium Romanorum, quod etiam falſa religio illis cordi eſſet. Neque itaque Ethnicis vel Hæreticis, qua tales, bellum recte indicitur. An autem pro alienis ſubditis iuſta ſit belli cauſa dubitationē habere videtur. Et puto, ſi manifeſta ſit imperantis in ſubditos iniuria. Si quis enim Buſiris vel Phalaris imperet, etiam ſocietas humana id exigit, ut oppreſſæ parti ſuccurramus. Ita in Maxentium & Licinium Conſtantinus, in Perſas alii Imp. bellum intulerũt, ut vis à Chriſtianis arceretur.

Ex

Ex his quæ diximus apparet, ius quoque muniendarum urbium, & quicquid ad militiam pertinet, penes ſolum eſſe Principem: atque idem eſt, muris foſſiſque locum apertum cingere. Ipſique adeo muri ſacroſancti dicuntur, & qui illos violaverit capite punitur. l. ult. D. de Rer. Diviſ. aliquid eis coniungere, ſuperponere, reficere, vel aliud quid agere, ex quo damnum aut incommodum irrogetur, non permittitur l. 9. §. 4. ff. de Rer. Diviſ. iunctâ l. 2. & 3. ff. Ne quid in loc ſacr. Unde ſequitur, pomæria urbis extendere, nova mœnia erigere, portas vel muros habitare, illicitum quoque eſſe. l. 13. C. de oper. publ. l. 10. & 18. cod. Si tamen mœnia vetuſtate vel alio caſu dilapſa fuerint, turres dirutæ, incolæ tenentur ſumptus præſtare, quia propriæ ſecuritati conſulitur. l. 12. C. de Oper. Publ.

Quæſitum, an Princeps damna, quæ illata ſubditis, remittere poſſit. In bello utique nullâ remiſſione opus eſt. Hoſtis enim hoſti iure ſua bona eripit. Sed nondum ad arma ventum, verum bona ſubditi tui hoſtili animo auferuntur, naves retinentur, lucrum impeditur, an ex plenitudine poteſtatis aliquando ſubditorum damna remittere is poteſt, qui omnium tutor eſt ſupremus? Utique ſi publica utilitas id ſuadeat, ſi arma infeſta metuantur, quibus graviora damna infligi poſſint, ſuo iure id poteſt, ne Reſp. detrimentum capiat l. 3. C. de Primipil. lib. 12. Cæteroquin extra neceſſitatē publicam tranſactio illa vires ſuas nequaquam exerit. Subditi ad reſtitutionem damni inſtituere actionem ſuam poſſunt. Atqui Princeps de rebus privatis pro ſuo arbitrio diſponere poteſt. Illius omnia cenſentur,

ſentur, ille Dominus terrarum. l. 9. ad L. Rhod. de iact. l. 3. C. de Quadr. Præſcrip. l. 14. C. de Oper. Publ. Utique Princeps imperio ſolo cuncta complectitur. Quod omnia eius eſſe intelligantur, fiſcalem cauſam privatamque ſubſtantiam concernit. l. 3. C. de Quadr. præſcr. L. 14. C. de Oper. publ. illud præcipitur ſecuritati publicæ tuendæ, ædificia quæ mœnibus imminent, vel iunguntur, dirui, proſterni, ne per inſidias hoſtium vel ignium furorem calamitas urbi immineat. Quæ vero ratio? Portas, muros habitare iam olim vetitum l. 3. ff. Ne quid in loco ſacro. Qui contra leges peccat, beneficio legum indignus eſt. Quinet illud dici poteſt, quod publica utilitas privatam extinguat, quod reſarciri quoque damnum poſſit. In genere itaque ſciendum, vel propter pœnam, vel propter neceſſitatem publi

publicam privatis ſua bona eripere Principem poſſe. Contra ſi Princeps ex iniuſto bello agros populatus ſit, bona eripuerit, ad reſtitutionem damni teneri, melior eſt ſententia. Porro repreſſaliæ imaginem aliquam belli referunt, & ius eas concedendi ſoli ſupremo competit magiſtratui. Guid. Papa Dec. 33. in fin. quæ locum habēt inter illos qui ſubditi non ſunt. Neceſſitas hoc remedium extorſit. Quippe peregrinorum æque atque civium ratio haberi non ſolet. Si itaque Iuſtitia denegata ſit, vel contra omnem naturalē ęquitatem ſententia lata ſit, damnum aliquod grave, vel iniuria illata ſit, ſolet Princeps ſuâ autoritate ius repreſſaliarum concedere, quo bona iſtius gentis prehenduntur, quæ damnum inflixit. Sed nunquid non iniquum pro alienis debitis alium luere? Si quid univerſi-

verſitas debet, ſinguli non debent, inquit IC. Ulpianus in l. 7. §. 1. ff. Quod cuiuſc. univ. nomin. Et huc facit l. un. C. ut nullus ex vicanis. Nov. 52. Nov. 134. cap. 7. Similibuſque textibus. Reſpondeo, primo pignorationes prohibitas multum à repreſſaliis differre. Edixit Iuſtinianus, ne inter ſubditos ſuos ullę fierent violentæ pignorationes. Repreſſaliæ autem contra eos concedi ſolent, qui tui ſubditi non ſunt. Dein non unicuique licet privata autoritate alterius bona eripere, ſed Principis intercedit ſuprema poteſtas: illi incumbit in examinis trutinam primo rē deducere, neque temere ſed cauſa plene cognita illud jus concedere. Imperatorem hodie Romanum raro admodum gratiam illius iuris dare Gailius de Pignorat. cap. 2. teſtatur. Atqui quod univerſitas debet, ſinguli non debent. Illud

quidem verum, hoc vero non item, quod momentum quæſtionis tangit, quando univerſitas delinquit, ſubditi non delinquunt. Sicut corpus humanum ita fabricatum eſt, ut una compage omnia devinciantur membra, ita uno vinculo ſinguli ex populo continentur. Quod reges faciunt, ſæpe recte puniuntur Achivi. Quinet is qui iure repreſſaliarum arripit res alienas, actionem ſuam cedere cogitur, ei cui res ſublatæ ſunt adveſus debitorem. Atque ita acerbitas pœnæ mitigatur. Quique iure ſuo abutitur, vel per obreptionem impetravit, in pœnam quadrupli incurrit, atque omnia damna læſo reſarcire cogitur. Menoch. conſ. 244. num. 22. Idem dicendum ſi quis cauſam, occaſionem exhibuerit arg. l. 61. §. 5. ff. de Furt. Menoch. dict. loc. Neque tantum bona pro alterius bonis retineri queunt, verum

etiam

etiam perſonæ pro perſonis. Subditi tui ſine cauſa vinculis conſtringuntur apud extraneum Principem, in carcerem compingere etiam ſubditos iſtius Principis iure licitum. Subditus alterius regionis ſanguine civis cruentas maculavit manus, iuſtitia denegatur, etiam manus injicere quibuſcunque Princeps non prohibetur, ultimo autem aliquem afficere ſupplicio, nunquam probatum eſt. Nemo homicidii reus fit niſi vel ipſe id facinus perpetraverit, vel dolus adfuerit. Huc facit l. 1. §. divus. ff. ad L. Corn. de Sic. & l. divus. eod. Eo autem caſu tres prehendere Iure Attico permiſſum erat, donec iuſto ſupplicio cædes expiaretur, vel noxii dederentur. Quam ſpeciem prehẽſionis ἀνδρο'ληψίαν antiquitas appellavit. Porro cum ſapientes pacis causâ bellum gerant, laborem ſpe otii, ut ille loquitur,

quitur, ſuſtentent, neque bellum belli finis eſſe debeat, labor laboris, calamitas calamitatis, atque ea res difficillima ſit proſpicere quid utile futurum ſit Reip., ſoli quoque Principi ſive ſupremo magiſtratui incumbit poteſtas pacem conſtituendi, inducias acceptandi, fœdera percutiendi. In quibus cauſis conſultus Senatus apud Romanos, Populus juſſit. Uti autem Dux exercitus, cui rerum ſumma ſine ulla reſtrictione conceſſa eſt, pacem tamen ſancire nequit, quia ignorantis domini conditio per procuratorem deterior fieri non debet l. 49. ff. de procur. & l. 10. §. ult. ff. de pactis, nonnunquam tamen ſi honeſtæ conditiones pacis offerantur, Imperatoribus exercitus à Romanis conceſſa fuit ea poteſtas, ut induciis arma ſuſpenderent, & exigua requie ſudores belli refocillarent, donec ſenatus popu-

populuſque conſultus eſſet. Ita Manius, ut autor Plutarchus eſt, inducias Ætolis conceſſit, atque Romam ut mitterent legatos permiſit. Ducibus quoque licitum, ubi hoſtes oppugnant, ubi oppidum arcta obſidione cingunt urgentque, paucarum horarum inducias concedere, ſi cruentum prælium initum ſit, & paſſim iaceant ſine honore trunca & inſepulta cadavera. Sepulturam permittere etiam minorum ducum eſt. l. convent. ff. de Pact. Quæ enim Principem non denegaturum, niſi humanitatem omnem exuerit, certum eſt, ſua quoque autoritate privati duces agere poſſunt. Sed an ut ad pacis iucundiſſimum nomen perveniatur, regna, ditiônes ſuas alienæ poſſit ſubiicere poteſtati ſuo iure Princeps, nobilis quæſtio eſt. Exemplum illuſtre nobis exhibet cruenta illa Gallorum prope Pa-

 piam

piam in Italiâ cædes, qua Franciſcus I. Galliarum rex vivus in manus Davali pervenit, atque ad Carolum V. in Hiſpaniã ablegatus eſt. Fœdus ita ictum Galeatius Capella lib. v. de Bello Mediolan. tradidit, ut Senatum Pariſienſem à Flandriæ provocationibus abdicaret, Burgundiam cederet, iuri ſuo cuicunque in Italiam renunciaret. Facile ſpopondit Rex cuſtodiæ mancipatus, cuius immenſus ſpiritus carceris non ferebat anguſtias. Libertatis amore cuncta promiſit, ut cuncta mox rumperet. Vix enim liberatus, quando cum Italiæ Principibus novum fœdus iniit. Primo hic videndum, an ius Regni inconſultis Proceribus, inconſulto populo alienæ potuerit ſubiicere dominationi? Cuncta fere regna magis in uſufructu eſſe quam patrimonio cenſentur. Et quâcunque de causâ invito populo

pulo tranſmittere ſua iura ad extraneum Principem iniuſtum eſt. Libentius omnes ab indigenis quam à peregrinis gubernamur. Peregrinorum mores ut plurimum inviſi, ſemel autem inviſum vel bene vel male facta ſemper premunt. In ceſſione itaque Burgundiæ totum regnum Galliæ, & præcipue ipſe Comitatus, de quo agimus, aſſenſum præbere debuerat. Quis non aſſentientibus, revocare illud Rex potuit. arg. l. 37. ff. de Pact. Dein extorta hæc quoque pactio videri poteſt. Eius autem quod iuſto metu geſtum eſt reſtitutio datur per tot. tit. Quod met. cauſ. geſt. er. Diuturnitas vero vinculorum nonne Principi iuſta cauſa metus? Ex mærore difficillimum cum contraxiſſe morbum, ita ut in præſenti vitæ diſcrimine eſſet, Galeatius idoneus autor prodidit. Et cur non

potius cum ulla affulgeret ſpes libertatis, promiſſis ſe liberavit, quam ut ſeipſum ſempiternæ includeret & veluti voluntariæ cuſtodiæ? Accedit quod captivus Rex ne quidem amplius adminiſtrationem imperii habere videatur, & cum redierit, veluti poſtliminio iuri ſuo reſtitutus videtur. Interſtitio temporum penes populum vel delegatos ex populo rerum ſumma conſiſtit. Regi itaque captivo ne quidem ea competebat poteſtas arg. l. 1. ff. de Offic. Proconſ., niſi de iis rex peſigerit, quæ privatim ſua ſunt. Vide Grotium de Iur. Belli & pac. lib. 3. cap. 20. §. 3. Fides tamen utique & pactio ubi legitime interceſſit, ſemper Principi ſervanda. Quid enim tam congruum fidei humanæ quam ea quæ placuerunt ſervare inquit Ulpian. in l. 1. ff. de Pact. iunctâ l. 1. pr. ff. de conſtit. pecun. Illuſtre nobis exem-

emplum dedit M. Attilius Regulus Imperator populi Romani, cum apud Carthaginienſes captivus eſſet. Miſſus is erat Romam iuramento obſtrictus, ut niſi Pœnis captivi quidam nobiles redderentur, ipſe rediret Carthaginem. Diſſuaſit ille in ſenatu reddi, mutari captivos, quod crederet Romanæ Reip. inutile. Illos qui vinculis ſtringebantur in flore ætatis eſſe, lacertos iterum movere poſſe, ſe ſenio confectum, manu invalidum. Fidē ſervavit, rediit mox Carthaginem, ut excogitatis atque horridis cruciatibus periret. Incluſum quippe, ut loquitur Auguſtinus, anguſto ligno, ubi ſtare cogeretur, claviſque acutiſſimis undiq; confixo, ut ſe in nullam eius partem ſine pœnis atrociſſimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt. Noluit itaque Regulus conditiones pactioneſque bellicas & ho-

ſtiles perturbare periurio. Atqui talem, dicat aliquis civem deſiderabat Reſp. quæ optimis illam poſſet conſiliis inſtruere. Maior laus affulſit Reip. ex fide religionis præſtita, præſertim cum optimis conſiliis Senatum Romanum jam inſtruxiſſet. Atqui & proculdubio promiſit Pœnis ſe mutationem captivorum ſenatui perſuaſurum, fidem itaque fefellit. Validius erat iuramentum: nullum enim vinculum ad aſtringendam fidem iureiurando Romani arctius eſſe voluerunt, ut alibi loquitur M. Tullius Cicero. Et quod indecorū, inutile Reip. ne quidem promiſiſſe videbatur. Sed naturæ iniquus eſt arbiter, qui mortem ipſe oppetit. Sciebat enim quid ſibi barbarus tortor pararet. Devovere ſe pro patria magnitudinis & fortitudinis Romanæ fuit. Præ ea vir cordatus nihil debet extimeſcere, omnia huma-

humana deſpicere, nihil quod homini accidere poſſit intolerandum putare. Pacem igitur ſtabilire, fœdera icere, legatos quoque mittere ſolius maieſtatis ſupremæ eſt, cum ſint iidem nuncii pacis & belli, & publici veluti interpretes. Ideoque qui perſonam legati lædit, ipſum Principem violat. Municipia improprie ius legationis habere dicuntur. Ad legationem autem etiam invitus quis cogi poteſt l. 4. §. 5. ff. de Legat. Niſi ingruentem aliam neceſſitatem ſibi impoſitam oſtendat, arg. l. 2. §. 1. eod. vel ſe imparem eſſe tanto oneri probet. Atque hoc factum ne publica onera desererentur, atque Reſp. incommodum aliquod pateretur. Iterum quæſitum eſt, an Principi Chriſtiano cum Turca vel infidelibus fœdus inire licitum ſit? & diſtinguendum eſt. Aut fœdus ineunt principes Chri-

ſtiani cum Turcis ut Chriſtianis noceant; & omnino illicitum eſt. Tale fœdus cum Turcâ iniit Franciſcus I. rex Galliarum adverſus Carolum V, ut Sleidanus docet. Quare Carolus eum communem Chriſtianorum hoſtem eſſe dixit. Improbantur autem merito talia fœdera in S. Scriptura. Deut. cap. 7. v. 2. Exod. 23. v. 32. 2. Paralip. 16. v. 7. item 19. v. 2. 20. v. 37. Amos c. 5. v. 4. ubi dicit Dominus: me quęrite, & vivetis, nolite quærere Bethel, nolite in Gilgal & Berſabe tranſire. Ita notat Baronius in Annalibus ſuis Carolum Simplicem graviter reprehenſum fuiſſe à Fulcono Archiepiſcopo Rhemenſi, quod cum Normannis, qui tum Ethnici adhuc erant, fœdus iniiſſet. Conſtat etiam, tali de causâ Berėgarium à ſuis occiſum eſſe. Dicimus itaq;, talia fœdera quæ cum Turca ineuntur vel infideli,

ut

ut principibus Chriſtianis noceāt, prorſus illicita eſſe. Secus vero ſi fœdus pacis aut commerciorum ineatur. Ita David cum Achis Palæſtinorū rege, Salomon cum Hiramo Tyriorum rege fœdus iniit. Noſtri quoque Proceres amicitiæ & pacis colendæ causâ, tum etiam commerciorum intuitu, cum Turcarum principe fœdus percuſſerunt. Si qui alii caſus in ſacra Scriptura occurrant, qui talia fœdera prohibere videntur, vel hac diſtinctione vel ex circumſtantia loci facillime diſſolvuntur. Neque Rabbinorum poſteriorum hic valent ineptiæ; Qui non tantum fœdera cum alienigenis recuſabant, verum etiam neque conſuetudinem vel familiaritatem cum iiſdem colebant, quia Moſes præceperat ut ſuis benefacerent, Lev. 19. 8. Superſtitioſa inde Iudæorum curioſitas, omnia in extraneos benefi-
 ci-

cia anxie excluſit. Sed nobilis hic moveri poteſt quæſtio, an & quando ſalvo antiquiori fœdere novas appetere amicitias Principi licitum ſit. Occurrit in Hiſtoria Romana egregiũ exemplum. Romani cum Samnitibus fœdus percuſſerant, ſocietatis vinculum utrinque iunxerant. Samnites Sidicinos infeſtis armis ſine iuſta cauſa oppugnant. Acciſæ illorum vires tantæ potentiæ reſiſtere nequibant. Campanorum itaque opes in ſuppetias ſollicitant. Re intellecta Samnites Sidicinos omittunt, Campanos invadunt, copias illorum aliquoties fundunt proſternuntque. Precibus ad populum Romanum confugiunt Campani, amicitiam offerunt. Quanquam autem fœdere Samnitium non contineretur, ne qua Romani nova fœdera percuterent, antiquior tamen ſocietas & fides prævaluit. Reſponſum

itaque

itaque Campanis: auxilio vos dignos cenſet Senatus. Sed ita nobiſcum amicitiam inſtitui par eſt, ne qua vetuſtior ſocietas atque amicitia violetur. Samnites nobiſcum fœdere iuncti ſunt, itaque arma vobis negamus adverſus Samnites. Legatos, ſicut fas iuſque eſt, precatum ad eos mittemus, ne qua vis vobis fiat. Sed poſtquam Campani divina humanaque omnia in poteſtatem pop. Romani dediſſent, Romani Campaniam regionem toto orbe terrarum pulcherrimam, Liberi Cereriſque delicias, tanquam ſuam contra Samnites defenderunt, ſanctior & prior habita deditio antiquiori fœdere & ſocietate. Qua ſolennitate autem deditio fieret, apparet, cum Collatini ſe Romanis ſubiicerent. Tarquinius Priſcus interrogavit: Eſtiſne vos legati oratoreſque miſſi à populo Collatino, ut vos po-
pulum-

pulumque Collatinum dederetis? Sumus. Eſt ne Populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Dedidiſne vos populumque Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani deditionem? Dedimus. & ego recipio. Vide tamen de hac quæſtione Decium conſ. 407. Porro an Princeps fœdere ſuo ſucceſſorem obliget, & quando dubium eſt. Utiq; omnis perſonalis ſponſio perſonam non egreditur. Si itaque Principem privatim concernat, defuncto eo nulla amplius religione tenetur ſucceſſor. Sed ſi imperii cauſa acta ſit, fœdus quoque ſucceſſorem tenet. Imperium enim immortale, æternum cenſetur. Et recte Alfenus reſpondit in l. 76. ff. de judic. populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuiſſet, cum ex illis
nemo

nemo hodie vivat. Quinet ſi tota univerſitas periret, in uno tamen conſiſtere poterit. l. 7. in fin. ff. Quod cuiuſque univerſ. nomine. Ita & hoc caſu unum regnum, una Reſp. civitaſque cenſebitur, ſicuti unum Proconſulatum eſſe, etſi diverſi adminiſtrent, dixit IC. in l. 10. ff. de offic. Proconſ. Perſeus quidem reſpondit Romanis, fœdus cum patre Philippo percuſſum, ad ſe non pertinere, ſed contradicentibus Romanis ad arma ventum eſt. Demetrius cum ab Antiocho fratre obſes datus eſſet, eo defuncto obſidem ſe eſſe deſinere arbitrabatur, ſed Senatus Romanus longe aliter ſentiebat, ut autor eſt Iuſtinus. Collatini mortuo Anco Martio, quicum fœdus inierant, promiſſione ſe ſolutos arbitrabantur, & cum agros Romanorum infeſtis armis impeterent atque paſſim popularentur, à Tarquinio bello devicti

devicti ſunt. Tales itaque pactiones, etſi perſona Principis includatur, reales potius quã perſonales habendæ ſunt. Recte enim hic dixit IC. Ulpianus in l. 7. §. 8. ff. de Pact. utrum autem in rem an in perſonam pactum factum ſit, non minus ex verbis quam ex mente convenientium æſtimandum eſt. Plerumque enim (ut & Pedius ait) perſona pacto inſeritur, non ut perſonale pactum fiat, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum factum eſt. Pactionibus quoque firmandis obſides etiam invitos Princeps concedere poteſt. Quibus neque teſtamenti factio libera erat, eorundem bona tanquam captivorum in fiſcum redigenda, Divus Commodus reſcripſit l. 31. ff. de Iur. Fiſc. Si fœderis cõditiones ruptæ ſint, in illorum corpus atque vitam animadverti poſſe conſtans interpretum opinio eſt. Vide Bartolum

in l.

in l. Divus. ff. de Iur. Fiſc. Suppeditat quoque nobis exempla cordata & ſevera antiquitas. Trecentos Volſcorum obſides, cum Volſci ſponſionem ſponte ſua frangerent, conſul Appius Claudius in foro ſecuri percuti iuſſit. Triſte erat ſpectaculum videre aſperſum ſanguine obſidum Romanum forum, & laſſam tot cadaveribus conficiendis carnificis manum. Tarentini quoque obſides propter fugam Saxo Tarpeio deiecti ſunt. Sed utique diſtinctione hæc mihi cauſa indigere videtur. Si Princeps aliquem invitum coegerit, ut obſes eſſet, æquius humaniuſque arbitror à ſanguine abſtinere. Qui voluntario ſe illi neceſſitati obnoxium dedit, expectare oportet quæcunque imminere poſſunt, præcipue ſi pœna capitis veluti cõſtitura fuerit iam tum cum darentur, ſi legitimos iuſti limites is tran-

tranſiliret cum quo pactum initum eſt. Ita dixit Livius Samnitibus obſides datos, qui capite luerent, ſi pacto non ſtaretur: ut merito quaſi pœnæ deſtinari, ac dediti ſub conditione dici poſſent. Ea tamen fuit Samnitium humanitas, ut etiam ex iuſtâ causâ obſides non occiderent. Alia porro oritur quæſtio, an cum immenſa Principis ſit poteſtas, etiam ius illi ſit in Eccleſiam? Diſtinctos eſſe ordines nemo dubitare poteſt. Audi ſacram paginam c. 19. Paralipom. 2. Amarias Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent præſidebit: Sabadias autem filius Iſmael, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit quæ ad regis officium pertinent. Principi tamen quoque cuſtodia & curia Eccleſiaſticarum legum competit, quin & ea, quæ ad formam exteriorem pertinent præſcribere poteſt. Ita intel-

intelligo verba Iuſtiniani in Nov. 137. Ipſum Conſtantinum ideo ſe Epiſcopum vocaſſe Euſebius lib. 4. c. 24. in vita eiuſdem Principis memoriæ prodidit. Rectè Demetrius Chomatenus aliquando reſpondit: Imp. ut communis ἐπιστημονάρχης ſynodalibus præſit ſententiis & robur tribuat, eccleſiaſticos ordines componat, & legem det vitæ Politiæque illorum, qui altari ſerviunt. Hinc & celeberrima quæque concilia ab Imperatt. confirmata Eccleſiaſtica Hiſtoria teſtatur. Quinetiam nulla exemptio competit iis, qui Eccleſiæ inſerviunt, à ſæculari poteſtate. Omnem animam ſubiectam eſſe magiſtratibus ſuis ſacra innuit pagina. Soline Eccleſiaſtici immunes erunt à ſuperiori poteſtate? Si immunes, ergo neque ſubditi: hoc eſt divellere Remp. & in duas partes ſcindere, & novam Remp. in Rep. conſti-

tuere, & quod plus eſt, omne imperium conculcare. Recte dictum eſt à IC. ei cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa ſine quibus juriſdictio explicari nequit. l. 2. & ibi DD. ff. de Iuriſd. Religio & Iuſtitia duo ſunt fulcra Reip., maximum Religio. Illa nutante tota collabaſcit diſſolviturque Reip. compages, ſcinditur ſtudia in contraria vulgus, niſi freno aliquo coerceatur. Apoſtolus Paulus cum ad ipſum Cæſarem provocavit, nunquid non agnovit ſupremam poteſtatem? Idem factitavit Apoſtolus Petrus, idem tot martyres, qui non exemerunt ſe ſeculari imperio, verum, etſi iniuſte ab iis pœna exigeretur, ſanguine ſuo confirmarunt. Ipſe Ieſus Chriſtus divinitatis particeps, cũ victima ſua peccata noſtra coram Deo expiaturus eſſet, audivit neque improbavit Pilati verba, an neſcis quod habeam poteſta-

poteſtatem te cruci affigendi, & habeo poteſtatem te dimittendi? Si itaque Eccleſiaſticorum exemptio ulla admittatur, nutabit imperiũ, ſubditi imperabunt, imperator obtemperabit, judicia divellentur, & fatalis quædam confuſio totam dividet ſcinderque Remp. Confirmant auctoritatem Principis decreta monitaque ſanctiſſimorum patrum, non ſolum cum gemeret Eccleſia, ſed etiam cum in novos ſpiritus aſſurgeret. Hoc de Conſtantino, qui inter Imperatores Epiſcopus & inter Epiſcopos veluti Imperator fuit, teſtatur Theodoretus Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 7. Idem alii quoque Imperatores abunde ſuis ſtabilivere ſanctionibus. Vide l. 1. C. Ne ſanctum Baptiſm. iteret. Dedit quidem Princeps Epiſcopis quoque ſua iudicia, ſed ſupremam ſibi ſemper retinuit poteſtatem. per tot. tit. Cod. de Epi-

ſcop. audi. & l. 6. cod. Quinet clericus qui diſputare publice de religione auſus fuerit, à conſortio clericorum removetur. l. 4. C. de ſumma trinit. Audi & Iuſtinianum Imperatorem Nov. 137. ſi civiles leges quarum poteſtatem nobis Deus pro ſua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus cuſtodiri ad obedientium ſalutem ſtudemus, quanto plus ſtudii adhibere debemus circa ſanctorum canonum & divinarum legum cuſtodiam? Principis itaque eſt, leges Eccleſiaſticas conſervare, pacem ſtabilire, ſi turbulenta inciderint tempora, & diſſenſionibus Eccleſia ardeat, concilia indicere, eadem confirmare, religionis cauſam tueri l. 2. C. de ſumm. Trin. Verum cum hæc dicimus, nemo exiſtimet nos velle imminui iura Eccleſiarum. Eligere, ordinare Eccleſiaſticos, pe-

nes clerum conſiſtit. Nov. 123. Idem Cyprianus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Gregorius Magnus, teſtantur. Et recte annotatum à Iuſtello ad canones Eccleſiæ, initio orientis Eccleſiæ penes clerū ſuffragii electioniſq; ſemper fuiſſe poteſtatem. Quo pertinet locus divi Lucæ Act. c. 14. v. 23. Ratio autem non tantum morum, eruditionis eius qui eligeretur, verum etiam ętatis habebatur. Preſbyterum antequam annum ætatis trigeſimum quintum attigiſſet eligi lege vetitum. Nov. 123. cap. 13. Quippe ut Magiſtratui imperium, ita Sacerdoti propria eſt veneratio. Cui opportunior eſt adultior ætas, quæ non impetu quodam ſed iudicii bilance cuncta examinat, exequitur, &, ut Poëta loquitur, cōmiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret. Vide tot: tit: C. de Epiſc. & Cler. & tit. de Epiſcop. aud. Porro diſci-

plina quoque Eccleſiaſtica penes ordinem Eccleſiaſticum iure ſuo conſiſtit. Illi omnes conſortes Eccleſiæ ſubiecti, etiam Reges, etiam Principes. Hinc divus Ambroſius ad Valentinianum Imperatorem appoſite dixit: Noli te gravare, Imperator, ut putes in ea, quę divina ſunt, aliquod ius te habere; ad Imperatorem palatia pertinent: ad Sacerdotes Eccleſiæ: publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorũ. canon.23.qu.8. Exemplũ illuſtre nobis dedit Theodoſ. Imp., quã hiſtoriã ut altius repetamus, occaſio hic poſtulare videtur. Forte auriga quidam Theſſalonicæ, quod adoleſcenti ſtuprum intentare voluiſſet, in vinculis detinebatur. Circẽſium advenerat dies, qui equorũ curſu & pompa Deorum ſuorum, qui circumgeſtabãtur, nominis acceperant celebritatem, & maximis ſtudiis in diver-

diverſas aurigarum factiones colebantur. Poſtulavit populus maxima contentione, ut captivus dimitteretur, atque operam ſuam Circenſibus ludis addiceret. Denegatum à Præſide. Ibi vero Theſſalonicenſes eum movere tumultum, quo plurimi viri illuſtres & inter eos ipſe præfectus Illyriæ Bothericus à furente populo oppreſſi atque interfecti ſunt, quinet ipſa urbs ſanguine ſuorum civium natabat. Grave, atrox erat illud crimen, noxium carceri eripere, magiſtratui violentas manus inferre, tumultu totam admodum urbem movere, ſed Theodoſius Imperator dum modum pœnę nullum adhibet, neque in autores tanti criminis diſquirit, in aliud incidit longe graviſſimum facinus. Ad ludos, quibus Theſſalonicenſes quam maxime deditì erant, invitari iuſſit. Nulla hic doli ſuſpicio,

ſed vultu ad hilaritatem compoſito cuncti frequentes convenerãt. Verũ longe alia rerum facies fuit, ubi milite ſe cinctos, gladiis ſtrictis peti, vulneribus certis undecunque occumbere ſero ingemiſcerent. Nulla ſexus, nulla ætatis habita ratio. Mulierum lamentis, puerorum eiulatu, cunctorum denique horrendo clamore cœlum turbabatur, terra concutiebatur, ſanguine vero effuſo maculabatur. Septem hominum millia crudeliſſimo hoc mandato extincti ſunt. Illud quoque memoriæ traditum eſt, Patrem quendam, cum illius duorumque filiorum morti imminerent milites, vitam ſuam omneſque opes obieciſſe, quo filiis parcerent. Non admiſere in totum conditionem truculenti ſicarii, ſed alterutrum ex filiis morti cum patre deſtinari voluerunt. Ibi vero pater dubius, quem potiſſi-

mum eligeret, modo hunc modo alterum amplexus, deſperationis furore abreptus, ne unum alio cariorem habuiſſe videretur, utrunque propria manu occidit, & filiorum ſanguine corpus ſuum indigne tepefecit. Nulla pœna legum cõſtituta eſt illi, qui ſupra leges eſt. Imperator tamen Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubiectus eſt. Prohibitus ab Eccleſia, à cõmunione, ab antiſtite Mediolanenſi Ambroſio. Quid vero ibi Theodoſius, an Imperatoriam exercuit autoritatem, atque indignationis fulmen vibravit? Minime gentium. Quin & dixiſſe fertur, ſe unum Ambroſium inveniſſe qui verè Epiſcopus eſſet. Per octo menſes cum templo abſtinuiſſet, vix admiſſus, eâ conditione ut legem ferret, qua cavetur, ne intra triceſimum diem iudicia capitis exercerentur. Sedato enim, non irritato affectu iudi-
 candum.

candum. Seram eſſe poſt ultimum ſupplicium pœnitentiam. Ubi de vitâ hominis agitur nulla cunctatio tarda eſt. Enorme crimen perpetrârat Theodoſius, ſed pœnitentia fere extinctum. Similis innocenti eſt, quem criminis pœnitet. Porro ius quoque monetæ proprium eſt ſupremæ poteſtati. l. 2. C. de Falſ. monet. Itaque eã cudere, improbare, tollere eidem competit. Hinc imagines imprimere numiſmatibus vetus mos fuit etiam apud Romanos. Quod officium fuiſſe Comitum ſacrarum largitionum Caſſiodorus lib. 7. cap. 7. Variarum prodidit. Ut autem probus ſit nummus, & materia & forma iuſtumque pondus deſideratur. l. 1. C. de Vet. numiſmat. poteſt. Quæ ſi concurrant, pro libitu ſuo valorem monetæ augere minuere ne quidem Princeps poteſt. Novell. Leon. 52. Intereſt enim

Reip. non ſic iactari nummum, ut nemo ſcire poſſit, quantum in bonis habeat. Auctio, deminutioque velut morbus ac tabes eſt Reip., qua divitum opes exhauriuntur, pauperes vero ad incitas rediguntur. Sicuti autem atrocius punitur, qui veneno quam gladio occidit, ita occultum hoc venenum apertâ vi longe intolerabilius eſt. Caracalla, Iuſtinianus, Nicephorus, Phocas eo nomine notati ſunt ab antiquis hiſtoricis quod ſine iuſta cauſa imminuerint valorem nummi. Neque moneta admittitur, licet imaginem ſuam Princeps imprimi iuſſerit, ſi materiæ qualitas quantitaſque proba non fuerit. arg l. 102. ff. de ſolut. & l. 9. §. 1. ff. Ad l. Cornel. de Falſ. Molin. de uſur. contract. Qu. 92. num. 703. Nunquāne igitur licet Principi augere, minuere valorem monetæ, vel adulterinum cudere num-

nummum? Utique Princeps qui ſine juſtâ cauſa id factitat, violat ius gentium, uſumque commerciorum tollit. Neceſſitas tamen omni lege potior, cui cedere hominis cordati eſt. Ærarium inopia premitur, hoſtis regiones tuas infeſtat, urbes cingit, non tantum valorem monetę mutare licitum, ſed etiam ex corio, etiam ex papyro nummos cudere Princeps ſuo iure poteſt. Ita tamen, ut ſi læta pax cum belli horrore commutata fuerit, reſarcire iuſtũ valorem ſupremus teneatur magiſtratus. arg. l.2. C. pro quib. cauſ. ſerv. Si deteriores quoque à vicinis principibus nummi cudantur, ne χρύσια, ut ille loquitur, χαλκείων permutare quis cogatur, Princeps in tempore providere poterit. Alioquin enim optimæ notæ moneta exportabitur, ſola peculii ſordida ærugo maximo damno ſubditis relinquetur. Eam ob

ob cauſam Galliarum Reges nonnunquam hoc factitaſſe Bodinus tradidit. Poteſt & hoc fieri, ut ex diutina contrectatione evileſcat materia, vel pro temporum ratione minoris maioriſque pretii ſit. Quo caſu, augere, minuere valorem nummi iure licitum eſt. Illegitimi etiam nummi conſenſu populi approbari poſſunt. Vivius deciſ. 137. n. 6. Multo itaque minus homines privati, qui turpi lucro inhiant, maiori valore pecuniã obtrudere poſſunt, pauperum revera opificumque ſanguinaria flagella. Sanguine utiq; pauperũ paſcuntur tenaciſſimæ illæ hirudines, & non tantum furti ſed peculatus crimine tenentur. l. 1. & tot. tit. ff. ad L. Iul. Peculat. Illegitimi ponderis monetam ne quidem Principem ferire poſſe ſupra diximus. Quod ita intelligendum, ut expenſę monetales detrahantur. Quis enim fe-

rat

rat Principem cui Reip. cura incumbit, cum damno ſuo providere humanæ ſocietati? Vide Albertum Brunum in tractat. de Augment. monet. in pręmiſſ. n. 1. Soli itaque Principi proprium eſt ius monetæ, niſi alicui poteſtas illa conceſſa fuerit. Privati publicatione bonorum & igne puniuntur l. 2. C. de Falſ. monet. Domus ubi crimen commiſſum fiſco adiudicatur, conſcii quoque puniuntur. Quod adeo verum eſt, ut ne liquefacere propria autoritate monetam quis poſſit. Hoc enim eſt ius Principis frangere, invertere per l. 1. C. de Auri Proſecutorib. & ibi Bartolus. Neque enim minus crimen committit, qui characterē inſculptum nummo violat, quam ſi quis ſtatuas ipſas Principis fregerit, everterit. Quendam ſub Tiberio Imperatore maieſtatis accuſatum legimus, quod annulum digito inſertum,

ſertum, cui impreſſa erat imago Principis, obſcœnis, urinæ mittendæ, admoviſſet. Quamvis hoc poſterius publico potius tum tēporis accuſatorum furori adſcribimus. Ea enim erat tunc mortalium ſervitus, ut ne ſomnia quidem libera eſſent. Monetæ cauſa longe gravior, quia intereſt Reip. aurum argentumque ſignatum & copioſum habere. An igitur nequidem probam monetam cudere privato licitum? Utique tamen reus eſt, per l. ult. C. de Falſ. monet. & l. ſacrilegii 6. §. 1. ff. ad L. Iul. Peculat. atque ibi DD. Aut enim probæ materiæ ſuam imprimunt imaginem, & affectatio tyrannidis eſt. Ex hoc crimine Firmus ſub Aureliano, Trebellianus ſub Gallieno tyranni appellati, ſub Commodo Perennis interemptus eſt. Nummo ſocietas humana conſiſtit, nummus belli miniſter, pacis alūnus,

Reip.

Reip. nervus. Quam adminiſtrare uti Principis eſt, ita ne diſſolvatur vinculis ſuis publica compages, ſolo numiſmate efficere poteſt. Qui nomen ſuum publicis operibus imponit, nulla mentione facta Imperatoris, reus eſt læſæ maieſtatis. l. 10. C. de Oper. publ. Quid monetæ? cuius prohibitio gravior iuſtiorque. Quid ſi itaque probam quis cuderit monetam privatâ autoritate, imaginem non ſuam ſed Principis inſculpſerit, an tenetur criminis? Nullũ enim publico incommodum damnumve intentare is videtur. Utique cum leges non diſtinxerint, qua imagine formata ſit moneta, adulterina omnis videbitur, quæ non publica ſit excuſa forma. per d. l. 6. § 1. ff. ad L. Iul. Peculat. Itaque in officina publica, à publicis operariis, ſigno denique publico feriri nummus legitimus debet. Neque ad

rem

rem facit, quod iuſta, proba ſit monetæ materia. Adulterinus ſæpe partus legitimo pulchrior robuſtiorque eſt, neque minus adulterinus eſt. Perſona, loco, tempore aliquid modo iuſtum modo iniuſtum habetur. Et quæ cauſa cudēdi monetā, ſi proba ſit? cur in monetaliū munus involat? Factionē, res novas, totū illud ſpirat. Pecunia ſępe poſteriores Romani Imperatores ad imperiū evecti, dū largitionibus in exercitum effuſi eſsēt. Pecunia copiæ parari, ſeditiones ali, res novæ affectari poſsunt. Principis intereſt ſcire, quātū auri argētive infecti in officinā inferatur, quantū nūmorū exportetur, quis inferat exportetque. Ipſa quoq; ſcientia feriendi nūmos aliquando vetita. Diocletianū cuncta ideo volumina, quæ de fuſione auri argētiq; agebāt, igni cōmiſiſſe tradūt veterū monumenta. Cū itaq; reverēter haberi

debeat effigies principis, qui illã cuicunq; bonæ monetæ propria autoritate imprimit, reus eſt maieſtatis & falſę monetę, ſubiectuſque pœnæ. l. 2. C. de Falſ. monet. Diſſentit Marſilius in l. Qui falsã. num. 54. ff. de Falſ. Neq; vero obſtat nobis l. 6. §. 1. ff. ad L. Iul. Peculat. ubi ita loquitur IC: qui cum in moneta publica operarẽtur, extrinſecus ſibi ſignant pecuniã formâ publicâ, vel ſignatã furãtur; hi non videntur adulterinam monetam exercuiſſe, ſed furtum publicæ monetæ feciſſe, quod ad peculatus crimen accedit. Itaque nonnunquam qui ſibi extrinſecus privata autoritate ſigno publico pecuniam cudit, in ordinariam legis pœnam nequaquam incidit. Sed ſolutio in promptu eſt. Vult enim IC. ipſum locum, non factum mutare crimen, ita quidem, ut qui in moneta publica operatur, ſi extrinſecus ſibi forma publicâ

blicâ pecuniam ſignaverit, aut ſignatam furatus fuerit, non videatur adulterinam monetam exercuiſſe, quia publica autoritate, loco, ſigno denique publico nummum feriit: contra ſi in loco privato idem quis faceret, etſi publico ſigno, in crimẽ incideret falſæ monetæ. Itaque ſi quis in officina monetariâ non Principi ſed ſibi metallum cuderit, in peculatus crimen incidere dicitur. Qui igitur ſive in materia ſive forma adulterinam cuderit monetam, reus maieſtatis eſt, bona fiſco addicuntur, ignis illi ſupplicium eſt. Qui radunt, tondent, & tingunt, ſi liberi ſint, ad beſtias damnãtur, ſi ſervi ſummo ſupplicio afficiuntur l. 8. ff. ad L. Cornel. de Falſ. Secus dicendum videtur ſi uſque ad iuſtum pondus quis raſerit. Alciat. lib. 7. cap. 14. Reſp. Amicab. Neque differre arbitror, an aurei an alterius mate-

riæ nummi percuſſi fuerint. Quod enim de aureis IC. in l. 8. dixit, ad alios quoſcunque extendi debet. Aureorum autem meminit, vel quod illi qui ad hoc crimen animum accingunt, aureos potius radere, tondere ſoleant, vel quod illo nomine alii quicunque nummi in jure intelligantur. arg. l. 1. l. 2. l. 3. C. de veter. numiſmat. poteſtat. contra etiam aureos nummos æs dicimus. l. 154. ff. de V. S. atque æris alieni nomine debitũ denotatur. Quinet illi qui monetam publicam legitimam accipere recuſant, aliquo modo violant ipſum Principem; poteſtatem eius frangunt imminuuntque, itaque, pro ratione criminis, extra ordinem quoque puniri poſſunt. arg. l. 1. C. de veter. numiſmat. poteſt. Quinet uniforme pretium ſolidorum ſuâ autoritate augere vel minuere capitali pœnâ vetitum fuit. l. 3. C. eod.

C. eod. Quid dicendum de iis qui falſam monetam expendunt, qui dolo malo eoſdem emunt, vendunt? Incidunt in ordinariam pœnam Legis Corneliæ de Falſ. l. 9. §. 2. ff. ad L. Cornel. de Falſ. Neque tamen minus graviori pœna extra ordinem, nonnunquam etiã mortis puniendi ſunt. Qui enim adulterinos nummos emit, ut vendat, vel expendat, æque fere ſocietatem humanam lædit, commercia invertit, peculatus crimen, ne quid gravius dicam, committit, falſos monetarios inſtigat, qui facilius & tutius ſub hoc velo ſe occultant & peccant. Impunitatis ſpes alit, fovet crimina. Cunctis neceſſitas incumbit tales homines inquirendi. l. 1. C. de Falſ. Monet. Quid igitur qui tales nummos dolo malo emit, ut mox cum lucro divendat? Non tantũ expendere licitũ nõ eſt, ſed & inquirere

 auto-

autores lege iubente cogitur. Videtur itaque non tantum generali Lege Cornelia de Falſis, ſed & ipſo crimine falſæ monetæ teneri. Diſſentit Bartol. in d. l. 9. Marſilius in l. 19. num. 64. ff. eod. Menoch. de Arbitr. Iud. Quæſt. caſu 316. num. 52. Covarruv. de Collat. vet. numiſm. c. ult. n. 4. Loquimur autem de iis, qui tali mercatura compendium ſibi quærunt, quos violento ignis ſupplicio afficiendos Carolus V. inviсtiſſimus Imp. conſtitutione ſuâ criminali art. 111. cenſuit. Porro ius quoque Vectigalium, quorum alia εἰσαγωγικὰ alia ἐξαγωγικὰ dicuntur, Principi proprium eſt. l. 1. 2. 3. C. vectigal. nova inſtit. non poſſe. l. 10. ff. de Publican. Augere, diminuere illa, nova inſtituere, immunitatem concedere, eidē incumbit. Quo pertinet tit. Cod. de Immunitate nem. conced. Euſebius in Chronicis de Curtio

Tha-

Thalaſſo ſcribit, in Ardâ inſula vivum eum combuſtum fuiſſe, cum quatuor cohortibus, quod tributa acerbius exigeret. Quid non ſub L. Sylla toleravit Reſp. Romana, cuique adeo omnia conceſſiſſe videbatur, tanquam grande inſigne maieſtatis hoc non permiſit, ut immunitates concederet vectigalium. Illas eſſe opes publicas, patrimonium imperii, hinc publica niſi in urbe non locari, niſi in concilio frequenti, niſi in conſpectu Populi Romani, niſi præconio publico, Cicero in Orat. contra Rullum autor eſt. Senatus cenſuit, civitates illas, quibus immunitatem vectigalium conceſſiſſet L. Sylla, iterum vectigales eſſe, pecuniam, qua libertatem ſibi redemerant, ne quidem reddi oportere. Hinc & Verrem in maieſtatis crimen incidiſſe probat idem diſertiſſimus Romanorum, quod propriâ

autoritate Mamertinis navem remiſiſſet. Quinet is qui nova vectigalia inſtituit, pœnâ ambitus conſtringitur. l.un. §.3.ff.ad Leg. Jul. Ambit. Solet quidem ius vectigalium civitatibus ſæpe concedere Princeps, neque minus tamen ſummi imperii inſigne eſt. Corzetus de Poteſtat. Reg. parr. 4. Quæſt. 48. Itaque decreto civitatum vectigalia nova conſtitui non poſſe reſcripſerunt Impp. in l.2.C.vectig. nov. inſtit. non poſſe. Cum hanc dicimus Principis eſſe poteſtatem, extra neceſſitatem tamen nova indicere vectigalium onera, exhaurire privatorum opes, nequaquam poteſt. Præcipue ne diffuſa plebes opprimatur cavendum. Memorabile illud quod Cedrenus memoriæ reliquit, Baſilium Porphyrogenetã aliquando caviſſe, ut ſi neceſſitas extrema urgeret, opulenti pró pauperibus diſſolverent

debi-

debitum vectigal. Dubitavit Nero Imperator, cum Populus crebris petitionibus immodeſtam exactionem publicanorum accuſaret, an in totum cuncta omitteret vectigalia, pulcherrimumque donum mortalibus concederet. Sed Senatus aliter ſuaſit. Hoc enim pacto neceſſario diminui magnitudinem & potentiam urbis Romanæ. Sicuti vaſtum corpus nutrimento maiori opus habet, ſi illud denegetur, marceſcit, ita corpus immenſum Reip. vectigalium nutrimento indigere, ne nervi diſſolvantur, rumpatur, & in morbum calamitoſum incidat Reſpublica. Uti itaque vectigalia in totum non tolli Reipublicæ intereſt, ita ſine cauſa nova inſtituere odio populi ſubiectum eſt. Contra incurſiones hoſtium, prædonum, ad viarum publicarum ſecuritatem & refectionem, ad templorum

operumq; publicorũ conſtructio-nẽ, atq; ita porro, licita eſſe voluit cordata antiquitas. l. 7. C. de ſacroſ. Eccl. Sed dicat aliquis contra illa quę iam protulimus, quod legitimâ præſcriptione vectigalia acquirãtur, ſi omnẽ memoriã excedãt. Maſcardus de Probat. concluſ. 835. num. 4. & 5. Bartolus in l. ſi Publican. §. in omnibus ff. de Publican. & vectigal. plurimique alii. Ex quibus poſterior decem annis vectigalium ius cum titulo præſcribi poſſe aſſeruit. Sed mihi longe alia ratio ſedet. Neque enim fas eſt maieſtatem Principis ita frangere, imminuere. Præſcriptio utique immemorialis, ut loquuntur, nullas vires habet, niſi Princeps ſciverit. Quo caſu tacite conceſſiſſe videtur. atque huc facit arg. l. 4. C. vectig. nova inſtit. non poſſe: ubi expreſſe dicit Imperator, Imperatoriæ iuſſionis terminos & antiquam conſue-

ſuetudinem requiri. Neque vero nobis obſtat l. 10. C. de Vectig. ubi quædam civitates ius ſibi illud ad anguſtiarum ſolatia quæſiviſſe dicuntur. Nam ipſe Imperator ius illud vectigaliũ ibi confirmat, approbat. Sed num iure civili modus quoque aliquis impoſitus oneribus vectigalium? Utique ordinarium vectigal iure civili octava pars eius rei pro qua ſolvitur, ſi merces exportentur vel importenrur. l. 7. C. de Vectigal. Centeſimam fuiſſe rerum venalium cordatus autor C. Tacitus prodidit. Quando autem vectigal octavam excedit, barbara nulliſque rationibus ſuffulta creditur exactio atque conſuetudo. Roland. à Valle Conſil. 91. nũ. 44. lib. 2. Eduliis quoque raro impoſitum vectigal. unde in Caligulâ Suetonius dicit tanquam inauditum: pro eduliis quę tota urbe venirent, certum ſtatumque

tumque vectigal inſtituit. pro litibus atque iudiciis ubicunque conceptis, quadrageſimæ ſummam de quâ litigabatur, nec ſine pœnâ ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium convinceretur: ex gerulorum diurnis quæſtibus pars octava: ex capturis proſtibulorum, quantum quæque uno concubitu mereret. Et hæc quidem poſteriora vectigalia merito turpia habentur, gerulis, qui ſe laboribus urgent, fatigant, ſudorum pretia eripere, meretricum ſcelera ſtabilire, & ex immunda Venere opes imperii quærere. Eſculentis tamen & potulentis publicum imponere onus, ſecta temporum noſtrorum patitur. Quin & M. Tullius Cicero Oratione pro Lege Manilia teſtatur, ſuo tempore tria vectigalium extitiſſe genera, decimarũ, quæ pro frumento, vino, oleo, exigebantur, ſcripturæ, quæ ex paſcuis,

cuis, portorii denique, quod portus erat vectigal, unde & nomen accepit. Cæterarum autem rerum venalium non niſi centeſimam admiſſam fuiſſe ſuperius oſtendi. Unde nihil acrius pupugit libera Batavorum pectora, quam cum rigido iure decimas rerum venalium iis imponeret cruentus ille Belgarum flagellator, Dux Albæ, qui fœliciſſimas antea Belgii provincias illa calamitate involvit, ex qua vix hodie anhelitum ducunt. Quarum igitur rerum licitum Principi fuit vectigal iure civili? Quæ ad proprium uſum pertinent. l. 4. §. 1. l. 16. §. 9. ff. de Publ. l. 5. C. de vectig. neq; negotiandi cauſa tranſportantur. d. l. 5. & l. in lege cenſoria 203. de V. S. Sed conſuetudinis tanta in hac cauſa vis fuit & efficacia, ut legem ſolveret. Et Principem poſſe legem abolere, rūpere, ubi ratio aliqua Politica

hoc

hoc ſuadet, nulli utique dubium eſt. Qui itaque vectigal vel tributum nõ perſolvunt, eorũ bona ipſo iure in commiſſum cadunt. text. in l. 14. ff. de Public. ubi diſerte inquit IC. Ulpianus: commiſſa vectigalium nomine etiam ad hæredes tranſmittuntur. nam quod commiſſum eſt, ſtatim deſinit eius eſſe, qui crimẽ contraxit, dominiumque rei vectigalis acquiritur: ea propter commiſſi perſecutio, ſicut adverſus quemlibet poſſeſſorem, ſic & adverſus hæredem competit. Vectigalis ſpecies portorium, quod à portu nomen accepit, merito cenſetur. Flumina verò & portus iuris publici eſſe notum eſt. Hinc tituli in Digeſtis, de fluminibus, ne quid in flumine publico ripave eius fiat, quo peius navigetur, vel aliter aqua fluat atque priori æſtate fluxit, atque ita porro. De quibus ſingulis ut videamus

mus, ordo noſtri inſtituti ſuadet. Perēnia flumina hic intelligimus, quæ ex ſuis fontibus proſiliunt devolvunturque. Neque ad rem facit ſi ſole fervido exaruerint, cum tamen amnis natura ſua perennis maneat. l.1. §.2. ff. de flum. Contra ſi aquarum copia, ventorumque furor conglomeraverit torrentem, vel aggeribus ruptis ſpumans protuberet amnis, privati tamen iuris manet. Quid igitur dicendum ſi foſſa manu facta ſit, in quam flumen perenne influit, cuius iuris eſt? Publici, quia fluminis naturam induit. Præterea alio deducere aquas, vel in rivos divertere, vel exhaurire hydraulicis inſtrumentis ſine publica autoritate, licitũ non eſt, ſive illud flumẽ navigabile ſit, ſive ex eo aliud navigabile fiat. l.2. ff. de Flum. & tot. tit. ff. Ne quid in flum. publ. Quæritur itaque an in detrimentum vicinarum gentium

tium obſtruere amnes, ne altius excurrant, ſuo iure Princeps poſſit. Illuſtre occurrit exemplum in antiquitate. Tiberin aliquoties ita ſæviiſſe in ipſam Romam litore Hetruſco violẽter retortis undis, ut iret deiectum publica monumenta, urbem ipſam metu concuteret, tum alii tum luculenter Lyricorum primus Horatius teſtatur. Quæſitum itaque in Senatu, an conduceret vicinos amnes obſtruere, flumina lacuſque derivare, ſibique ſoli Tiberin innoxium alioquin amnem relinquere. Plurimi in illam ſententiam ibant, ſed Piſo reluctabatur. Præterquam enim quod adduceret naturam mutare arduum eſſe, leges ponere ſuperbum, illud periculum imminere urbi, ut vitando incrementa fluminis, aquarum inopiam ſiccumque alveum contrahere ſibi poſſit: pertinere ad ſalubritatem

aëris

aëris pleno aquarum vortice Romam tranſmeari, quietos ac taciturnos amnes putreſcere, præcipue ubi æſtatis calor efferveſcit: ita illud palmarium fuit, ripas cum incommodis gentium vicinarum non eſſe muniendas, ad quas itidem Tiberis pertineret. Obſtruere vel rumpere ora fluminum illicitum eſſe etiam à Senatu iudicatum inter Velinos & inter amnates, cum lacus Velinus in Naris fluenta deductus, & in cauſa Ariarathis regis Cappadocum, Mela Carmalaque amnibus obſtructis. Utrique cum & vicinarum gentium ea de re per legatos querelæ inſtituerentur, prævaluit in Senatu Piſonis ſententia, ut Cornelius Tacitus prudentiæ illud civilis corculum alibi memoriæ reliquit. Flumina itaque ad regalia Principum pertinent, neque minus tamen uſus aquæ profluentis populo communis

 eſt,

eſt. Eiuſdem eſſe iuris alveum cubile, & concavum fluminis, expeditum eſt, arg. l. 1. §. 7. ff. de Flumin. & l. 7. §. 5. ff. de Acquir. rer. domin. Sed alia jam emergit hic egregia dubitatio, an per alluvionem, ex vicino dominio, vel ſi curſum ſuum flumen mutaverit, amplior fieri poſſit Principis juriſdictio, limiteſque imperii extendi. Ea quidem quæ per alluvionis latens incrementum imperio alicuius vel fundo adjiciuntur, illi cedere expediti iuris eſt. Itaque iure civili cui per alluvionem emolumentum accreſcit, eidem quoque iure tributum augebatur, & vice verſa l. 2. C. de Alluv. & l. 4. §. 1. ff. de Cenſib. Sed ſciendum, longe aliud eſſe dominium, vel potius proprietatem, quam iuriſdictionem. Per alluvionem proprietas mutari poteſt, iuriſdictio vero non extēditur. Quod etiam

in

in proprietate obtinet, ſi agri limitati fuerint. l. 16. ff. de acquir. rer. dom. Secus dicendum, ſi præruptis montium, ſylvarum inacceſſis, fluminumque vortice, de quo potiſſimum hic agimus, diſcreta fuerint territoria. Ita Danubius vel Rhenus vaſti amnes limites fuerunt Germaniæ imperiiq; Romani. Ita Germani à Sarmatis mōtibus vel mutuo metu ſeparabantur. Si hoc caſu amnis latētem curſum mutaverit, territorii quoque fines augere vel minuere poteſt. Sin autem ſimul & ſemel alveum ſuum flumen mutaverit, ſi terrarum illud fuerit interiectum ſpatium, ut emolumentum damnumve inde exurgat, medietas alvei cuiuſque terminus erit. arg. l. 3. §. 2. ff. de aqu. cotid. & æſtiv. accedet autem alterutrius territorio, ſi pretium non fuerit operæ lites ea de re excitare, ſicut enim prætor, ita neque Princeps

minima curare debet. Itaque antiquus terminus ipſum flumen cenſebitur. Idem de arduis montium ſi terræ motu diſſilierint, de ſylvarum deſertis, ſi caſu aliquo exarſerint, dicendum videtur. Uti igitur flumina ad Principem pertinent, ita uſum aquæ profluentis communem eſſe diximus: unde ingenioſiſſimus Poëtarum dixit,

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt,
Nec Solem proprium natura nec aëra fecit.

Hinc dubitari poteſt, an piſcatio iure prohiberi poſſit à Principe. Utique nemo privatus alteri vel in mari vel in flumine piſcationem prohibere poteſt, verum is qui prohibet, iniuriarum actione tenetur. l. 13. §. 7. ff. de iniur. Et quidem piſcationem, quia iuris naturalis eſt, in totum prohibere ne ipſe quidem Princeps poteſt,

teſt, niſi gravis aliqua & fatalis incumbat neceſſitas. Cum tamen piſces liquido fluminis cubili habitent, eiuſque fructus videantur, iuſtum imponere tributum poteſt. Docet hoc l. ult. §. 7. ff. ut in flum. publ. & l. 1. ff. de Loc. Publ. fruend. Libertatem quoque naturalē circumſcribere, ne certo in loco piſcatio inſtituatur, quam ſuis deliciis reſervat, iure poteſt. Hinc & inter regalia Principis piſcationum reditus recte cenſetur. Quo pertinet titulus iuris Feudal. quæ ſint Regalia. Moribus noſtris in publicis fluminibus piſces calamo capere licitum unicuique, retia tendere, niſi iis qui conduxere, permiſſum non eſt. An igitur ubi Princeps ea de re non cavit, privatus alium nonnunquam piſcatione prohibere poteſt? Utique. Audi Marcianum IC. in l. 7. de diverſ. temporal. præſcript. Si

quiſquam in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem iure uti prohibet: niſi is deſierit uti iure piſcādi. l. 45. ff de Uſurpat. & Uſucap. in lacu item, privatoque flumine, vel æſtuario quod mei iuris eſt, prohibere aliquem piſcatione iure poſſum. l. 13. §. 7. in fin. ff. de Iniur. Vide Cæpollam de ſervitut. ruſt. præd. cap. 42. num. 3. Sicuti igitur Princeps piſcationi in publicis fluminibus tributum imponere poteſt, ita providere eius eſt atque interdicto coërcere, ne uſus fluminis vel navigatio deterior fiat. l. 1. in pr. ff. de flū. & l. 1. ff. Ne quid in flum. publ. Magnum adducit emolumentum Reip. non impedita navigatio, illa divitiarum mater, commerciorum nutrix, diverſarum gentium copulatrix. Hinc navigandi uſum neceſſitatem vocavit IC. in l. 1. in princ. ff. de

Exerc. Act. Itaque navigationem inermem innoxiam, à qua nullum periculum Reip. imminet, ne quidem peregrino interdicere Princeps poteſt, ſi æquum vectigal quis ſolvat. Quippe propter onus tuendæ iuvandæque navigationis, ripæ muniendæ, dein ut ſuperior omnis agnoſcatur autoritas, ius gentium & naturalis æquitas, tale vectigal permittit. Qui autem vectigalia illa ſine cauſa vel contra initum contractum auget, lucrum iniquum captat, nihil penſi habet utrum per fas an nefas pecuniam corradat, humanam lædit ſocietatem, ius commerciorum tollit, denique ipſum Juſtitiæ ſanctiſſimum delubrum violat. Contractus autem initi an etiã Principis ſucceſſorem teneant, perſpicuum eſt ex iis quæ alibi docuimus, cum inter realia & perſonalia pacta diſtinctionem fecimus. Realia au-

tem, cum ipſam Remp. tangant, quæ æterna atque immortalis cenſetur, firma manent, niſi mutatio temporum iuſtiſſimam autionem poſtulet. Hinc nobilis illa movetur quæſtio, an vicino mari tributũ imponi poſſit? Quomodo enim mari, cuius nullus dominus eſt? Quis limites, quis juriſdictionẽ huic proprie impoſuit, niſi qui limites iuris tranſilivit & naturæ? Vaſtum illud pelagus, immenſum illud murmur aquarum regi atque frenari à nemine poteſt, niſi à Deo immortali. Vera ſunt, quæ dicis. Nemo proprietatem maris habet, poſſeſſionem per diutinum tempus habere poteſt. Itaque etiam diſtrictui maris is qui poſſidet poteſt vectigal & gabellas indicere. Atque hoc conducit ad emolumentum Fiſci. Navigationem autem impedire nequit. Multo minus navigia cum mercibus fiſco addicere,

dicere, ſi adverſus præcepta quid factum fuerit. Libera eſt jure gentium navigatio. Illa in vaſto Oceano neque impediri poteſt neque debet. Deus ipſe hoc per naturam loquitur. Quare cæleſte illud numen terras a mari abſcidit? Quare inſulas in medio Oceano erexit? Quare non omnibus terris, ea quibus vitâ indiget ſuppeditavit? niſi ut navigatio & jus commercii communia & libera eſſent. Gens altera alterius ſupplet inopiam. Ita quod genitum uſpiam, apud omnes natum videtur. Iuſta hæc apud Poëtam querela,

-- Lituſque rogamus
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.

Illud idem de ſinubus & anguſtiis maris dicimus. Qui non ſinit ſub iuſto vectigali tranſire navigia, lædit ius gentium, naturam, Deumque immortalem. Male

itaque DD. quidam Itali voluerunt, urbem Venetam impedire poſſe navigationem in mari Adriatico: quod ſi contra commiſſum fuerit, merces fiſco adiudicare. Inter quos principatum tenent Iaſon in l. ex hoc iure n. 27. ff. de Iuſtit. & jur. & in l. quominus 4. ff. de flum. Angelus conſil. 289. & qui præcipue Venetorum cauſam agit M. Antonius Peregrinus lib. 8. de Iur. Fiſci. Uti autẽ vectigalia maris diſtrictui vel eiuſdem angustiis indici poſſunt, eaque fiſco debentur, ita prudens non vero violenta eorum debet eſſe exactio. Quæſitũ itẽ, an naufragorum res fiſco recte cedãt. In Gallia aliiſque regionibus iniquiſſime totum id fiſco cedit. Certe naturalis ratio miſero & naufrago res ſuas reddendas poſtulat. Idque ius civile optime ſtatuit l. ult. de incend. ruin. & naufr. & l. prim. C. de Naufrag.

Quid

Quid calamitoſius naufragio? Ubi inter procellarum turbines & ferocientes vẽtos mortem ob oculos videmus. Quis ſiccis oculis, ut Poëta loquitur, vidit turgidum mare & infames ſcopulos Acroceraunia? An miſerum & calamitoſum maiori miſeriâ & calamitate multabimus? An quod tempeſtatis vi eiectum eſt alter poſſidebit? Quod enim ius habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur? recte dixit Conſtantinus Imp. Etiam Adrianus & Andronicus Comnenus maximam habuere naufragii rationem. Nam ſi direpta eſſent naufragorum bona, eos qui iuxta litora maris prædia poſſidebant teneri voluerunt. Si tamen naufragorum bona non vindicentur, ad fiſcum ea pertinebunt. Imperium itaque in vicinos fluctus pro parte admitti poſſe, nequa-

quam

quam dubito. Mare quidem nullius eſſe recte dicitur, ſed ut pro parte potentiori cedat, nihil repugnat. nam & ipſe aër qui nullius eſt, corporibuſque noſtris cedit, aliquo modo poſſideri dicitur. aërei tractus, qui ædificiis noſtris ſepiuntur, noſtri ſunt. Tenuis aura quam haurimus, quæ corpus noſtrum clauditur, occupanti cedit. Mare itaque nullius quidem eſt, ſed Principis dici poteſt quoad protectionem, quatenus lambit vicinam tellurem. Litus quoque, modo Principis dicitur, modo naturam ipſius maris ſequitur. Proprietas quidem illius poteſt intelligi nullius eſſe, ſed eiuſdem iuris eſſe cuius & mare, & quæ ſubiacet mari terra vel arena. Quoad protectionem tamen, ne litorum uſus invertatur, impediatur, Principis recte, niſi fallor, dicitur. Ita Celſus in l. 3. ff. Ne quid in loco publ. dixit: litora

tora in quæ populus Romanus imperium habet, populi Romani eſſe arbitror: maris autem uſum communem omnibus hominibus. Alioquin non eſſe in patrimonio populi Romani, alibi Neratius dixit, l.14. ff. de acquir. rer. Domin. Contra de mari ſentit Mynſing. Reſp. 1. num. 162. decad. 11. qui Principis regale eſſe exiſtimavit maris proprietatē, ſed egregie, ne quid peius dicam, decipitur, ut ex his apparet quæ ſuperius attulimus. Et doctiſſimus Seldenus, dum putida adulatione circūfluum mare ſuo Regi vindicare cogitur, integrum ea de re commentarium edidit. Quę quidem quęſtio ſepulta hodie eſt, dum civilium bellorum turbine agitatur Britannia, & vix ſibi ſuperſtes magis propriam ſalutem quam proprietatem aliquam maris optat, & precatur. Vidimus quatenus flumen, mare, litus,

Prin-

Principis ſint. Portus quoque eiuſdem iuris eſſe cenſetur, cuius flumen eſt. §. 2. Inſtit. de rer. diviſ. Cum autem immenſum profundum arceat portuum ſecura ſtatio, cum vires Oceani luctantis cum furore vẽtorum collidat, frangatque, cum civitates ipſas adverſus hoſtium violentiã muniat, ad eorundem exſtructionem, vel inſtaurationem ſinguli conferre tenentur, nulla perſonarum habita ratione. l. 7. C. de Oper. publ. Merito itaq; quando tellurem velis ſuis arripit nauta, & in portum ſe recipit, portorium aliquod ſolvi debet Principi. l. 3. C. de vectig. & commiſſ. & l. in lege cenſoria. ff. de V. S. An autẽ peregrinum portu prohibere Princeps iure poſſit, nobilis eſt conſideratio. Exiſtimavit Bodinus ſtudio ingenioque magnus licitum eſſe non tantum peregrinum finibus arcere, verum

etiam fines prætervectum ejicere, non modo ſi bellum indictum ſit, verum etiam ipſo pacis tempore, ne civiũ ſuorũ mores peregrinorum conſuetudine corrumpantur. Uſu certe urbis vel portus prohibere peregrinos, inhumanũ eſſe dixit M. Tullius. Si peregrinorum mores adeo ſint contaminati, ut imminere inde civitati periculum videatur, iuſta poſſunt adhiberi remedia, ut veluti ſepto ſuo intra civitates peregrini claudantur, vel ipſo portu navigiiſque ſuis ſe contineant. Prohiberi tamen portu peregrini poſſunt, ſi propter navium copiam, metu iuſto & legitimo provincia vel civitas turbetur, inſidiæ metuantur. Ita legem apud Rhodios fuiſſe legimus, ut ſi qua roſtrata navis in portu deprehenderetur, fiſco cederet. Quid igitur dicẽdũ de hac quęſtione? Forte violenta tempeſtas cœlum &
maria

maria turbaverat, invitis nautis furore ventorum navis in portum adacta eſt. Quæſtor populi navem in portu deprehenſam publicari iuſſit. Dominus excipiebat, vim maiorem ſe præſtare non poſſe. Nullā culpam ſuam eſſe, ſed Oceani debacchantis. Crimen non poſſe committi niſi intentione. Quicquid iuſto metu agitur, excuſare. Qui volens naufragio ſe exponit, idem facit occidenti. An crimini duceret, ſe adhuc procellis uvidum vitam ſuam ſervaſſe? Contra Quæſtor: ſemper purpureum pannum obtendi poſſe criminibus. Sibi incumbere ut non de facti cauſa, ſed ipſo facto cognoſcatur. Si ſemel ignoſcatur, ſurrecturam publicam peccandi licentiam. Cum ſurgere inciperet tempeſtas, caveri potuiſſe ne ad hunc portum vela & navigia flecteret. Etſi imprudens, etſi vi maiore coactus feciſſet, potiorem

tiorem tamen eſſe cauſam Reip. Propoſuit hanc quæſtionem M. Tullius. Quid deciſum fuerit non addit. Deciſionem ſimilis caſus nobis exhibet Alfenus IC. in l. 15. ff. de Publican. & vectigal. Cæſar cum inſulæ Cretæ cotorias locaret, lege ita edixerat, ne quis pręter redemptorem poſt Idus Martias cotem ex inſula Creta fodito, neve eximito, neve avellito. Navis quædam onuſta cotibus vi tempeſtatis in portum Cretæ relata, dein poſt idus Martias profecta eſt. Reſpondit Alfenus, ſimili in caſu commiſſam navim non videri. Illa quoque controverſia ante aliquot annos orta fuit inter Turcas & Venetos. Genuenſes navim Turcicã pretioſis mercibus onuſtam ſuperaverant iure belli. Tempeſtate exacti in Candiæ portum, quæ Venetorum eſt, penetrarunt. Veneti quemadmodum cum Genuenſi-

bus ita cum Turcis amicitiam colunt. Quæſitum an Turcis reſtituere prædam debeant Veneti. Diſtinguo. Si enim Turcæ ſtatim atque exuti fuere præda, recuperandæ tamen illi hoſtem perſecuti fuerint, & fugientem uſque ad portum preſſerint pari velocitate, etiam in ipſo portu ius poſtliminii eſſe exiſtimo, nam eo caſu animus poſſidendi adhuc perduraviſſe videtur. arg. l. 44. ff. de A. R. D. Et huc pertinent notabiles text. in l. 12. pr. l. 26. ff. de capt. & poſtlim. rev. l. 2. & 5. C. eod. In quibus legibus jus poſtliminii eſſe dicitur, tum demum, ſi per virtutem & militum noſtrorum fortitudinē bona recuperata ſint, vel ſe fuga vel ingenio hoſti quis ſubduxerit, & ad ſuos aut ſocium atque amicum regem pervenerit. In cæteris itaque nullum eſſe dico ius poſtliminii. Qualis hic noſter caſus fuit.

Quare

Quare puto nullam competere Turcis actionem. Neque Veneti reſtituere Genuenſium prędam obligantur. Secus dico ſi fœdere aliter conſtitutum fuerit. Quod à Pomponio in l. 20. & à Labeone in l. 28. ff. de Captivis & Poſtlim. reverſ. aſſeritur. Atque idem magnæ auctoritatis IC. Petrus Faber lib. 1. Semeſt. cap. 7. ex l. 12. probavit. Atq; ita inter Romanos & Carthaginienſes fœdus ictum maximus & accuratiſſimus autor Polyb. lib. 3. c. 24. memoriæ tradidit. Poteſt Princeps fœderatus impedire, ne in portu ullus fiat hoſtilis conflictus, ſed quæ extra territorium iure belli hoſtiliter geſta ſunt tollere & reſcindere nequit. Teſtantur veterum Hiſtoriæ, Duces Carthaginenſium à Scipione in Siphacis portu abſtinuiſſe. Quare? quia publicam præſtat ſecuritatem omnibus Princeps. Multo minus iniuriam

 fœde-

fœderato incutiet. Et quid vero? an ubi periculum hoſtis ceſſat, ab amico in portu expectabimus? Atque hoc ius omnes gentes hactenus obſervarunt. Nam ut alias gentes prætercam, quis neſcit nunquam aliter in Anglia quę noſtræ & Hiſpanicæ genti confœderata eſt, iudicatum atque obſervatum fuiſſe? Inter ea quæ Principis ſunt etiam ripaticum barbaro vocabulo Fredericus poſuit, quo vectigal intellexiſſe videtur, ripis impoſitum, quando ab una parte in aliam ponte vel navigio quis trajicit. Hinc dixit IC. Scævola, neminem, quamvis in utraque ripa fluminis publici domus habeat, pontem privati iuris facere poſſe. l. 4. ff. de Flumin. & l. 2. §. 33. ff. Ne quid in loco publ. Riparum quoque uſum publicum, proprietatem illorum eſſe quorum prædiis hęret, ius civile ſtatuit. Etſi autem pro-

prietas

prietas privatorum cenſeatur, neutiquam tamen nova ædificii fundamenta iacere, tecta locare abſque autoritate publica licitum eſt. Hinc dixit IC. in l. 15. ff. de Acquir. rerum domi. Qui in ripa fluminis ædificat non ſuum facit. Riparum enim conſervatio, & ne appulſus prohibeatur, publici iuris eſt. Itaque precario is tantum poſſidet. Quin etiam ſi quis alius novas ædes fixerit, quam cuius agris iure proprietatis ripę adhærent, quorundam interpretum ſentẽtia eſt propria autoritate tecta dejicere eum poſſe. arg. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. & l. 5. §. 10. ff. de oper. Novi Nunciat. Bartolus in l. Quominus qu. 7. num. 15. ff. de flumin. Cæpolla de ſervitut. ruſtic. præd. cap. 36. num. 6. Etſi autem iure civili ita conſtitutum ſit, ut ripæ annexæ ſint proximis prædiis, inſulæq; in flumine natæ eorum ſint, qui prope agros poſ-

 ſident.

ſident, ius tamen naturale ripas, atque illud quod per alluvionem extimis riparũ adiicitur, inſulaſque quæ in amnibus caput ſuum erigunt; Principis eſſe oſtendit. Si enim alveus fluminis ſit publicus, etiam ripa erit, quæ pars quodammodo eſt alvei. Ripa enim eſt, quo extima fluminis aqua excurrit, atque eadem ratione quicquid alluit ripis, inſulæque amnium profundo natæ, Principis rectè cenſentur, inſulæ enim alveis contiguæ ſunt. Hinc rationem non video, cur ita dixerit IC. in l. 65. §. 1. ff. de acquir. Dom. Si qua inſula, inquit, in flumine publico proxima tuo fundo nata, ea tua nata eſt. Paulus: videamus ne hoc falſum ſit de ea inſula, quæ non ipſi alveo fluminis cohæret, ſed virgultis aut alia qualibet levi materia ita ſuſtinetur in flumine, ut ſolum eius non tangat, atque ipſa movetur: hæc enim

enim propemodum publica, atque ipſius fluminis eſt inſula. Cur igitur inſula, quę alveo affixa, nō erit publica atque adeo ipſius fluminis, ſi natatilis inſula illud ius habeat? Ego vero contra ſentio natatilem inſulam minus debere dici publicam, cum prægnans ſæpe ſuſpicio ſit vi aquarum alibi à tellure avulſam. Sed ad rem. Ripatica igitur recte ſoli Principi competunt: talia vectigalia iuri civili ignota non fuerunt. l. 60. §. 8. ff. Locat. Quinet Princeps ſua auctoritate id prohibere poteſt, ne quis alio loco trajiciat quā publico. Vide Baldum in l. 3. n. 4. ff. de Iur. Fiſc. Porro cum viarum publicarum ſecuritas ad Principem pertineat, eiuſdem quoque recte via publica cenſetur. Si ſecuritas tollatur viarum, omnes actiones publicæ & privatæ peſſum ibunt, negotiatio fulcrum Reip. & nervus evaneſcet, omnis

peregrinatio, omnis legatio ceſſabit. Recte antiqui Diis immortalibus illos annumerarunt, qui latrones interfeciſſent. Unde Herculem & Theſeum cæleſtium aſcripſerunt ordini, quam quod hic Buſiridem ille Scironem cum aliis interfeciſſet latronibus? Neque ipſe Tiberius quamvis multorum ſanguine maculatus viarum curam autore Suetonio intermiſit. Viæ vero publicæ latitudo ex lege duodecim tabularum in porrectum octo pedes habebat: in anfractum, id eſt, ubi flexum eſt, ſedecim l. 8. ff. de ſervit. Præd. ruſt. Exiſtimarunt nonnulli interpretes viam publicam non tantum ſupremæ poteſtatis inſigne eſſe, ſed ſingulis quoque competere civitatibus. Sed contrarium dictant leges Romanæ, l. 2. §. 16. ff. Ne quid in loc. publ. l. 18. §. 1. ff. de Aqua & aq. pluv. arc. Ius quidem hoc ſingulare non-

nonnunquam civitatibus concedere ſolet Princeps, tanquam annexum juriſdictioni, ſupremā tamen poteſtatem intactam atque illibatam ſibi conſervat. Sed quęſitum an viæ publicæ liberum tranſitum denegare alicui ſuo iure Princeps poſſit? Cum via publica iure gentium communis ſit omnium, naturalis æquitas contrarium dictat, ut illius uſum permittat, qui ſibi noxius non eſt, arg. l. 2. §. 5. ff. de Aq. & aq. pluv. arcend. & l. 38. ff. de evict. atque hic innoxius tranſitus iure humanæ ſocietatis æquiſſimo etiam peregrinis denegari nequit. Niſi quis vel hoſtilia intentet, vel hoſtibus auxiliū ferat. Sacra pagina omnis æquitatis regula & amuſſis Emoræis propter hanc cauſam bellum indictum refert Num. 20. & 21. Inconſulto tamen Principe neutiquā exercitui liber conceditur tranſitus. Qui rogat, ſub-

mittit ſe, ſupremamque agnoſcit autoritatem. Etiam rerum quæ ſine cauſa denegari nequeunt iuſtiſſima petitio eſt. Qui fores ædium frãgit, vim publicam exercet, qui pulſat facile intromittitur. Is qui clauſtra regionum vel occulto vel inconſulto principe penetrat, aliquid moliri contra ipſum Principem videtur. Atqui prædæ avidus miles tranſitum petit. Nulla fides pietaſque viris qui caſtra ſequuntur. Conculcantur paſcua, læduntur ſegetes, imminet quoque ſæpe periculum ab armato milite. Utique hac lege tantum concedi ſolet tranſitus, ſi via militari & regia tranſeant, ſi privatorum non attingant poſſeſſiones, ſi precia rerum venalium perſolvant. Hoſtile eſt quicquid illos limites excedit. Periculum quod attinet, præcaveri à cordato Principe poteſt. Inermes vel diviſi tranſeant, obſides dẽtur, præſidia

ſidia militaria ſint in promptu. Extra has cauſas neutiquam denegare peregrino tranſitum licitum eſt. Vectigal autē, quod viæ publicæ imponitur, perſolvere peregrinus quoque tenetur. Princeps autem ſecuritatem viarum præſtabit, ne ſint obnoxiæ violentiæ vel inſidiis latronum. Publice enim intereſt, ſine metu & periculo per itinera commeari. l. 1. §. 1. ff. De his qui effud. vel eiec. l. 3. in fin. iuncta l. 13. ff. de Offic. præſ. Itaque ob latrocinia quæ publice prohiberi poſſunt, neque prohibentur, bellum indici poſſe, cordata iudicavit antiquitas. Bœotios, cum rebellioni vires & nervi deficerent, latrocinio Romanis infeſtos fuiſſe, Livius prodidit. Ex inſidiis itaque nota regione viarum ut plurimum incautos & nihil hoſtile metuentes opprimebant. De latrociniis per ſingulas civitates le-

gatos quæſitum miſit T. Quinctius. Multa prope Compaïdem paludem inventa cadavera, quæ lapidibus ſaxiſque alligata, ut pondere ſuo fundum peterent, atque limum pro ſepulchro haberent. Coronee imprimis atque Acrephiæ (civitatum hæc nomina) ſimilia inveniebantur crimina. Quid ibi Quinctius Romanorum nomine? Noxios dedi iuſſit, quingenta talenta pro quingentis occiſis militibus perſolvi. Cum neutrum præſtaretur, in bellum itum, agri vaſtati, arma circumquaque perſtrepuerunt. Fregit illorum animos commune omnium periculum, copiam Romam legatos mittendi, ſenatumque compellandi per Achæos impetrarunt. Indictū illis, ut noxios traderent, triginta mulctæ nomine luerent talenta. Ita demum ad pacis conditiones ventum eſt. Ut autē celerius itinera conſi-

conficerentur, celeres curſus inſtituere ſoli quoque Principi incumbit. l. 11 de curſ. publ. Ius quoque angariarum & parangariarum ſupremus habet magiſtratus. Quo iure neceſſitas incumbebat equos, plauſtra, naves præſtandi. De quibus tot. tit. Codicis eſt de curſu publico, Angariis & Parangariis, lib. 12. tit. 51. Quod onus non fuiſſe perſonale, ſed poſſeſſionibus ipſis indici ſolitum melior eſt interpretum ſententia. Evincit hoc l. 2. C. de Præpoſit. ſacri cubic. & l. ult. §. 21. ff. de muner. & hon. Qui autem curſus vehicularis & angariarum curam ſuſcipiebat, recte perſonale munus obiiſſe dicitur, l. ult. §. 4. ff. de Mun. & honor. & l. un. C. Sumpt. iniuncti muneris, &c. Ab onere autem angariarum, ſi Princeps expeditionem ſuſcipiat, nemo immunitatem habet, l. 21. C. de Curſ. Publ. Sæpe

For-

Fortuna belli in celeritate conſiſtit. Occaſionum momenta, ſi uſpiam, ibi ponderari debent. Reip. commodo unuſquiſque ſubditorum inſervire cogitur. In publica neceſſitate privata publicis cedunt. Soli itaque Imperatori debetur, niſi illud ius alicui conceſſum ſit angariæ & parangariç, l. 11. C. de ſacroſ. Eccl. ſimilibuſque legibus. Parangaria autem ab angaria in eo differt, ut ex Baſilicis conſtat, quod in ea tranſitus fieret per viam in tranſverſum, in angaria per viam publicam. Angariis ſimilia ſunt ſervitia ruſticorum, qui capitationem deferre, annonam tribuere cogebantur, & ſi Princeps quid indixiſſet, ſola obſequii gloria relicta erat. quod ius nulli niſi ſacræ purpuræ competebat. per l. 1. & 2. C. Ne ruſti. ad ull. obſeq. evocentur. & per l. un. C. Ne operæ à collator. exig. Periculoſæ

plenum.

plenum opus aleę, confertum ruſticorum agmen ſuo nutu cogere poſſe. Ita potentioribus, ſi id tentent, gravis indicta pœna eſt, nimirum ut facultatibus ſuis exuantur, & perpetuo affligantur exilio. Eadem pœna ruſtico imminebat, ſi ſponte ſua obſequium detuliſſet. l. 2. C. ne ruſtican. Hodie tamen pleriſque in locis Germaniæ ſummam in ruſticam plebem exercent poteſtatem nobiles, qui laboribus continuis illos fatigant, exhauriunt. Etiam vaſalli, ut notum, ſua ſervitia atque auxilia domino debent. Ex quo, quia periculum ſibi in Batavia imminere prudentiſſimus Imperator Carolus V. viderat, militaria ſervitia in Hollandia abrogavit, & vaſallis remiſit. Certe, ut hoc altius repetam, mutuum illud neceſſitudinis genus iam inde ab initio tanquam virtutis illuſtre præmium, bellorum magis
quam

quam ocii cauſa inſtitutum fuiſſe exploratũ eſt. Atque illud primo quidem multum ad ſecuritatem Principum contulit, cum omnem fiduciam in copiis vaſallorum ponerent, & ingruente neceſſitate facillime exercitum colligerent. Sed auctæ poſtea inteſtinæ nobilium factiones atque partium ſtudia in exitium Reip. non ſemel arma direxerunt. Quæ res ipſis principibus formidanda eſſe cœpit, præſertim in hac regione ubi veluti ipſius cœli inſtinctu acrius mortales animantur, & facilius ad turbas atque ſeditionum faces incitantur. Uti itaque Vaſallis, qui alios iterum ſibi obnoxios atq; dedititios habebant, ſua ſubſidia eriperentur; opportune admodum, tanquam illos novo demulceret beneficio, prudentiſſimus Imperator gratiam omnium militarium ſubſidiorum conceſſit. Similis fere naturæ ſunt operę

publicæ

publicæ, ſi Principi debeantur. Ad quas iure quoque cogere operarios Princeps poteſt, per tot. tit. ff. de oper. libert. Si recuſent, etiam pignora arripere, arreſta intentare. arg. l. 6. §. 1. ff. de Poen. Operæ tamen extra territorium à Principe ſuo indici inviro nequeunt arg. l. 9. ff. de oper. libert. & niſi neceſſitas publica urgeat, loco operarum nummos exigere nequit. Quid igitur dicendum, ſi quis operas debitas præſtiterit, ſi plauſtra, naves, iumenta quis exhibuerit, illa vero deteriora facta vel uſu conſumpta fuerint, an quanti intereſt reſtituere tenetur Princeps? Diſtinguo. ſi communi iure debeantur, reſarcire debere damnum Principem vera eſt ſententia. Neque diſtinguo an hoſtilis ea interceperit violentia, arg. l. 25. §. 4. ff. Locat. Diſſentit Alciat. & Molinæus in L. Neminem C. de ſacroſ. Eccleſ. Sin

 vero

vero onera illa perſonaliter debeantur, neque culpa gravis interceſſerit, nullo modo Principem teneri, contra interpretes mea ſedet ſententia. Oneribus enim illis quilibet annexus caſus videtur. Itaque navis tua colliſa ſit fluctibus, currus ab hoſtibus interceptus, equi vulnere ſaucii occubuerint, eius eſt damnum cui perſonale incumbit onus. Angarias autem & parangarias reale fuiſſe onus ſupra docuimus. Et hæc quidem onera promiſcue indicere cordatus Princeps non debet. Extra neceſſitatem indicta, reddunt ſubditos obſequii impatientes. Vide l. 6. §. 2. ff. de offic. Præf. & l. 23. §. 1. C. de Agricol. & Cenſit. Vaſq. illuſtri controv. cap. 8. n. 18. Quinetiam ſi Princeps nihil penſi habeat, immani ſævitia onera illa augeat, vel iniuſta uſurpet, imperio eius atque poteſtate ſubditos eximi poſſe, cor-

dati tenuerunt interpretes. Roman. conſ. 37. n. 1. Mynſinger. cent. 5, obſerv. 8. num. 5. Gail. lib. 1. obſerv. 17. num. 2. & 4. Omni itaque modo ſecuritas viarum ipſi Principi incumbit, atque eius cauſa tributum vel vectigal exigere poteſt. Securitatis itaque epiſtola, quem & ſalvum conductum appellant, à ſolo Principe impetrari debet. Quem qui violat, frangit, poteſtatem Principis, auctoritatem eiuſdem labefactat, conculcat. Quinetiam ipſe Princeps, qui ſe fide aſtringit, eam hoſti, eam reo ſervare tenetur. Rāpſinetus rex Ægyptiorum fidem etiam peculatus reo præſtitit. An igitur nunquam illi manus injicere, vinculis ſtringere, extremo ſupplicio punire licitum? Utique ſalvus conductus liberat aliquem à delictis præteritis, non autem à futuris. arg. l. Aurelius 28. §. 9. ff. de Liberat. legat. Menoch. de
 arbitr.

arbitr. caſ. 337. num. 13. Cabedo Deciſ. 90. num. 2. Etiam proditori, etiam rebelli, etiam hæretico hoc ius integrum manet. Iohannem quidem Huſſium & Hieronymum de Praga contra fidem datam ultimo affectos ſupplicio teſtantur & deteſtantur hiſtoriæ. Atqui, dicat aliquis, propter crimen poſterius puniti. Perſeverabant in hæreſi. Utiq; ſi fuiſſent illius criminis rei, (quemadmodum aliter iudico) idem tamen crimen erat, non novum non incidens. Neque ſufficiebat liberum aditum dediſſe, debebant enim concedere & reditum. literæ enim ſalvi conductus à Principe etiam generali modo conceſſæ ad eundum atque redeundum prodeſſe, modo tempus præfinitum non effluxerit, à IC. reſponſum eſt. Bartolus & Angel. in L. utimur, ff. de ſepulchro violato. Menoch. de arbitr. libr. 2.
cent.

cent. 4. caſu 336. num. 11. & 15. Literæ quoque ſecuritatis, ne quis debitor in carcerem compingatur, à Principe impetrari debent. Simile quoque ius, ut barbare vocant, Salvaguardiæ. Quod ius implicitam ſæpe cauſam habet interdicti retinendæ poſſeſſionis. Quo caſu inferiorum iudicum Iuriſdictio & poteſtas non minuitur, quo minus de poſſeſſionis iure cognoſcant. Principis enim ſupremi eſt non infringere, violare Iuriſdictiones, ſed quocunque modo tueri atque conſervare. arg. l. ult. C. Ubi & apud quem cognit. & l. 23. C. de teſtam. Reſcripta quippe Principum alieno iuri non derogant, l. 2. §. 16. ff. Ne quid in loc. publ. Neque ſupremus magiſtratus beneficium ſuum alicui vult eſſe captioſum. l. 8. ff. de prætor. ſtipul. Privilegia ad alterius iniuriam porrigere iniquum merito

cenſetur. l. 40. ff. de Adminiſtr. & peric. Eodē quoque referri oportet ius aſylorum. Quod ius cum apud veteres ſanctiſſimum fuerit, ita qui illud violabat in crimen incurrebat maieſtatis. Sed an & quatenus aſyla inſtitui poſſint, non infima dubitatio eſt. Primo omnibus delictis impunitatis ſpem concedere, idem eſt atque fovere. Secus ſi fiat, cauſa Deo diſplicet, & ſceleratorum refugium atque perditiſſimorum hominum in illo loco colluvies & publica veluti officina eſſe ſolet. Quod non avertere, evertere eſt Rempublicam. Improbum itaque aſylum Romuli fuiſſe merito Auguſtinus de Conc. Euang. lib. 1. c. 12. teſtatur. Urbis Romanæ fundamina recens iecerat Romulus, atque munitionem urbis novæ ſanguine fratris commaculaverat. Imago tantum urbis erat ſine incolis. Cunctis ſcele-

leribus refugium dedit, dum ſceleratos recepit. Sed idem Romulus, quod ſocietati hominum congregandæ approbaverat, mox quoque improbavit. Locus quidem ſanctus & inviolabilis manſit, ſed, ut Dio teſtatur, fores ita fuêre occluſæ, ut nulla relinqueretur ingrediendi occaſio. Utique cum deterrimo cuique licentia criminum creſceret, Auguſtus & Tiberius iura aſylorum Romæ aboleverunt. Præcipue autem antiqui in criminibus, etiam inter Chriſtianos, templorum abutebãtur religione. Scelerũ verò fomentum à Deo immortali petere, quid magis impium quid magis irreligioſum? Nonne maximus ille legiſlator Moſes ab altari eum dimoveri iuſſit, qui prudens hominem occidiſſet? Primo itaque omnibus criminibus refugii ius aperire ne quidem ipſe Princeps poteſt, qui à Deo

ſcelerum vindex inſtitutus eſt. Si illi qui crimen maieſtatis humanę commiſit denegantur refugia, illi concedentur qui divinam graviter læſit? Deinde crebriora erigere aſyla idem eſt atque humanam ſocietatem lędere. Quod Romani olim factitarunt. Ita templa & paſſim altaria cum ſumma eſſet in veneratione, ius refugii habuerunt. Unde Princeps Poëtarum,

-- cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes veniam & templum clamore petentes.

Sic enim ſentiebant ſuperſtitioſi mortales, etſi grande delictum eſſet, gravius adhuc crimen eſſe templi ius violare, numen ac religionem contemnere. Ita cohibenda crimina, ne quid gravius committatur. Hinc & maieſtatis reos templo extrahere auſi non fuêre. Exemplum eſt in Pau-

ſania.

ſania. Is detecta epiſtola quam Xerxi regi Perſarum miſerat, cũ in Palladis templum aufugiſſet, ex ſacro loco nequaquam à Lacedæmoniis abſtractus, ſed aditus templi occluſi, quo proprio fato concederet, neque religio tamen violaretur. Præter templa etiam ſtatuas Principum ſiquis amplecteretur, abſtrahi nequibat. Contra quem ritum exemplum adducit Corn. Tacitus lib. 3. Annal.: Incedebat, inquit, deterrimo cuique licentia impune probra & invidiam in probos excitandi, accepta imagine Cæſaris: libertique etiam ac ſervi patrono vel domino cum voces cum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur C. Caſſius diſſeruit Principes quidem inſtar Deorum eſſe, ſed neque à Diis niſi iuſtas ſupplicum preces audiri, accipi. Neque quenquam in Capitolium aliave urbis templa perfuge-

fugere, ut eo ſubſidium ad flagitium utatur. Abolitas leges & funditus everſas, ubi in foro, in limine curiæ ab Amia Ruſilla, quam fraudis ſub iudice damnaviſſet, probra ſibi & minæ intendantur: neque ipſe audeat ius experiri ob effigiem Imperatoris oppoſitam. Cadavera quoque Principum iure aſyli colebantur. Quod de Iul. Cæſare Xiphilinus, de Mariâ Alexii Imp. uxore Cedrenus teſtatur. Idem ius curias habuiſſe Appianus lib. 2. de bello Civili memoriæ reliquit. Signa quoque & vexilla militaria eandem habuiſſe autoritatem Tacitus lib. 1. Annal. commemorat. Crebriora hæc aſyla, pręcipue ubi cunctis patent criminibus, merito reprehenduntur. Utinam vero noſtra aſyla imitarentur illa refugii loca, quæ divina in populo Iudæorum conſtituit auctoritas! Sex urbes refugii

erexit

erexit iis Deus Optimus Maximus, qui per imprudentiam homicidium commiſerant. Cognatis alioquin defuncti ſanguinem propria manu vindicare licitum erat. Ex aſylo autem vivente ſummo Pontifice diſcedere nefas habitum. Pollui enim etiam conſpectu eius, qui imprudenter ſanguinem effudiſſet, religioſe creditum eſt. Quæ itaque religio, ut ſæpe fieri ſolet, iis concedere immunitatē & refugium, qui ſæpe nocēti ſanguine impias macularunt manus, vel aliis contaminati ſunt ſceleribus? Sicuti itaque aſyla erigere debet Princeps, ita quibus receptus dari debeat, ex criminum circumſtantiis caute proſpiciendum eſt. Iuſtinianus Nov. 37. ius refugii reliquis permittit, niſi homicidium, raptum virginis, aut vim in Chriſtianum commiſerint. Quæ cum excludit crimina, graviora etiam

excludit, maxime ſi Reſp. eo lædatur. Aliquis maieſtatem læſit, rebellionem excitavit, proditionem excogitavit, immunitatem proculdubio aſyli non habebit. Quid enim? Nunquid erit inviolabilis, qui totam violavit Remp. qui omnium cervicibus imminuit? Eum ne religio loci tuebitur, qui contra patriam fuit irreligioſus? Ex circumſtantiis itaque criminis iudicandum, an quis aſylo dignus ſit, & quando aſyla admittenda ſint l.1. c. de his qui ad ſtat. confug. Porro lucos quoque antiquis ſacros, & tanquam aſyla inviolabiles fuiſſe, antiquitas oſtendit. Hinc Lucanus lib. 3. Pharſal.

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aera ramis.

Seneca epiſt. 41.: Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudi-

titudinem egreſſus frequens lucus, & compactum cœli denſitate, ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens: illa proceritas ſylvæ & ſecretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem tibi numinis faciet. Itaque Princeps prohibere poteſt, ut arbores cædantur, transferantur, l. 1. & 2. C. de cupreſſ. ex luco Daphnenſi. Si in ſylvas, ſi in nemora hoc ius habet Princeps, an prohibere venationē poſſit, quę iure civili unicuiq; patet, ſibi ſoliſq; nobilibus recte relinquere, nō ignobilis velitatio eſt. Utiq;, ut hoc altius repetamus, inter antiquiſſima vitæ genera venationem poſuit maximus autor naturæ verique Ariſtoteles. Quam omnibus communem Deum ipſum voluiſſe ſacra pagina Gen. 1. v. 19. aſſeruit. Rationem recte apud Ciceronem

nem tetigit Chryſippus, cum dicit cętera nata eſſe hominum cauſa, ut beſtiis ad utilitatem ſuam uti poſſint ſine iniuria. Idem ius naturale & gentium approbavit. Quæro itaq; , num recte ſubditis eripiatur Venatio. Naturalia iura mutari nequeunt. Quid igitur? Princeps naturæ leges ponet, an vero Natura Principi? Multi certe cordati interpretes contra hodiernam conſuetudinem acriter inſurgunt. An recte, videamus. Et primo quidem rationes quæ pro Principe faciunt enumerabimus, mox & ea quæ in contrarium faciunt expediemus. Nullum certe dubium eſt, reſtringi libertatem populi poſſe, ſi Reip. noceat. Naturalis ratio hoc dictat, ut Remp. quocunque modo adiuvemus. Etiam venatio communis eſt præſcripto naturæ. An hic ſi prępondera altera ratio, non poterit alterum naturæ effectum col-

collidere? Nihil prohibet; imo æquitas illud probat. Dico itaque, Reip. noxium fore ſi communis eſſet venatio. Mercatura mechanicæque artes nervi Reip. peſſum irent. Etiam brevi tempore ferarum multitudo decreſceret. Neque vero nobis obſtat ius divinum. Nam uti commune imperiũ in feras cõceſſit, ita cætera quoq; initio communia fecit. Nemo autem diſtinctionem dominiorum improbat, niſi qui Platonicam vel potius Socraticam laudat Politiam. Concludo itaque, recte meritoque poſſe unam rationem naturalem altera colli-di, & per conſequens interdicere poterit ſubditis venationẽ Princeps. Quinetiam uti ſummus magiſtratus aliquando in publicam utilitatem ſua adimere poteſt ſubditis, ita maxime in hoc caſu poterit, cum ſpes capiendi feras ne quidem in bonis noſtris

nume-

numeretur. Multa enim accidere ſolent, ut feram non capias. Spes illa fragilis, incerta, nunquid adimi à Principe poteſt, cum etiam nonnunquam ſubditorum bona ingruente calamitate poſſint? Quinet ipſum ius civile num quid hoc ſatis approbavit? Reſcripſerunt Impp. Honorius & Theodoſius, cunctis poteſtatem conceſſam occidendorum leonum, neque alicuius formidari debere propterea calumniam. Recte inde concludo cæteris venationem prohibitam fuiſſe. Et eodem pertinet quod Paulus reſpondit in l. 28. ff. ad L. Aquil. Quinetiam quis negat tantos ſumptus ad venationem requiri, ut nemo niſi maximis præditus divitiis iis ſufficere poſſit? Finxerunt Poëtæ Actæonem à propriis laceratum fuiſſe canibus. Recte illam fabulam ita intellexit Fulgentius, quod omnes ſuas opes in

in venādi ſtudio consūpſerit. Sed dicat aliquis, cur itaque potiſſimum Nobilibus relicta venatio? Nam & illi occupationibus ſuis diſtineri ſolent. Immoderatum venandi ſtudium reprehendo, modicum laudo. Solet enim prȩludium eſſe ipſius bellicȩ prudentiæ. Uti recte Xenophon in libello de Venatione affirmat. Et audi omni exceptione maiorem M. Tullium Ciceronem, qui lib. 2. de Natur. Deor. ita loquitur: Iam vero immanes & feras belluas nanciſcimur venando, & ut veſcamur iis, & ut exerceamur ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinȩ. Immoderatum venandi ſtudium in Principe & Nobilibus nemo non reprehendet. Adrianum Imperatorem uſque ad reprehenſionem venandi ſtudioſum fuiſſe Spartianus ſcribit. Mithridatem Ponticum eo incontinentiæ deveniſſe Hiſtoriæ teſtantur, ut

per ſeptem annos neque ruris neque urbis tecto uſus fuerit, ſolis intentus venationibus. Concludo itaque, poſſe iure meritoque Principem ſibi & nobilibus venationem reſervare, ne detrimentum capiat Reſp. Accedit quod Principes iure præſcriptionis ſibi acquiſiverint. Præſcriptio enim immemorialis vim iuris obtinet. Ita reſpondit IC. in l. 1. & l. fin. ff. de Aq. & Aq. quotid. Sed non opus eſt eo recurrere. Ex vi enim poteſtatis Princeps non tantum plebeiis ſed & Nobilibus adimere venandi poteſtatem poteſt, ſi utilitas id ferat Reipubl. Ad ſalutem enim civium collimare ſemper oculi magiſtratus debent. Uti Deus omnia dirigit ad ſalutem univerſi, ita Princeps ad ſalutem civitatis, eiuſque æternitatem conſervare & propagare omni modo debet. Sed dubitatio hic nova oritur, an non cuilibet venatio

natio conceſſa ſit, ſi uſusfructus fundi in venatione poſitus ſit. Reſpondit recte IC. in l. Venationem 26. ff. de Uſur. & fruct. Venationem fructum fundi eſſe negavit, niſi fructus fundi ex venatione conſiſtat. Sed quid illa poſteriora verba denotant? Non bene hic inter ſe conveniunt interpretes. Ego certe ad ſententiam Coraſii accedo, qui exiſtimat, theriotrophia aliaque ſepta quibus feræ includuntur, ut privatim honeſtiſſimo venationis exercitio mancipare quis ſe poſſit, ad fructum fundi pertinere. Optime. Et ratio in promptu eſt, quia feræ quæ ſepto continentur, domini propriæ ſunt. Furtum itaque committit, qui ſine domini conſenſu eas venatus fuerit. Atque ita intelligo IC. in l. 9. §. aucupiorum. & l. 62. ff. de uſufr. Dixi ſupra, Venationem Nobilibus recte relictam eſſe. Nunquid

Si non ſit continua poſſeſſio, immemorialis locum habet prçſcriptio. Ius affirmativum eſt quando affirmo mihi licitam eſſe Venationem. Eodemque modo nemine contradicente præſcriptio introducitur. Et hæc ſubtilius fortaſſe diſputata ſunt. De tota autem hac quæſtione latius agit Sebaſtianus Medices in tract. de Venat. Qu. 29. Prætetea illud quoque dubitationem habere videtur, cuius ſit fera vulnerata, an vulnerantis an capientis. Textus quidem clarus eſt in §.illud. inſt. de Rer. Div. fieri capientis. Sed textus hic temperamentum accipere debet. Quid enim ſi quis feram ita vulneraverit ut neceſſario deberet capere is qui vulneravit. Durum eſt alium, qui fortaſſe ferç propior eſt, illam ſibi retinere. Ita labor alterius & indu duſtria alteri addicetur. Unde recte refert Alciatus lib. undec. Pa-

rerg. c. 2. ex conſuetudine ita obſervari ut vulnerantis fiat.: dummodo animum perſequendi habeat. Atque id iuri civili conſonum. Idemque dicendum puto, ſi quis feram fugaverit in anguſtias, ita ut neceſſario capi debuerit, alter ceperit, modo animus perſequendi non deſit. Atq; illud conſuetudo etiam probat. Ante finem huius materiæ rogo, an Principi venatio decora ſit? Certe Romanos mortalium cordatiſſimos ab eo ſtudio quã maxime abhorruiſſe, veterum teſtantur monumenta. Exteros & Barbaros eâ tantum uſos ex antiquitate conſtat. Ita Zeno Polemonis regis Põti filius Armeniorum ſibi conciliavit gratiam. Contra apud Romanos ſervilibus officiis annumeratam venationem, florentiſſimus autor Saluſtius tradidit. Etiam Tiberius legionis quendam legatum infamia-

ſamia notavit, quod milites quoſdam venatum miſiſſet. Sed hæc omnia ita interpretor, non quod Romani venationem illaudatam putaverint, ſed quod magis bellis quibus quotidie affligebantur, iuventutem exercendam quam ludicra venatione putarent. Et quid ſi Romani à venatione abhorruerint? Multa ſapienter à Principe populo excogitata fuere, nonnulla quoque neglecta pro morum varietate. Sedatum & quietum Italorum olim hodieque eſt ingenium. Ab omni motu natura illorum abhorrebat. Ex unius populi moribus ius naturæ vel gentium non conſtituimus. Græciam ego totamque Aſiam, Perſiam, & hanc noſtram Germaniam oppono. At vero plerumque gentes Barbaræ maxime venandi ſtudio æſtuarunt. Non plane alienum hoc à vero eſt. Sed quid mihi

Barbaros narras? Ipſe Plato (Deus bone quantus autor!) multa Barbaris accepta refert, & venationem tanquam laudatiſſimum ſtudium plurimis in locis extollit. Quãtus eſt ſuaviſſimus Xenophõ in laude venationis? Recte inculcat Principi utiliſſimam eſſe venationẽ. Uti enim præludium belli eſt, ita corpus laboribus confirmat, & aſſuefacit, mõtes, valles, planities, qua extenduntur, totumque adeo ſitum regionis ſuæ edocet. Quod multum ad regionem ſuam defendendam facere nemo ignorare poteſt. Atque id recte Lacones obſervarunt, qui in pace continuis venationibus animum addicebant. Sed quid igitur de ſacra Scriptura dicemus? quæ plerunque venatoris vocabulum pro impio poſuit. Et Divus Hieronymus in Pſal. 90. audacter dicit, penitus non invenimus in Scripturis ſanctis ſanctum

ali-

aliquem venatorem. Ita Nimrodus fortis dicitur fuiſſe venator. Ita Eſavus, ita alii. Et apud Ierem. c. 16. minatur Deus, ſe miſſurum multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum. Quid igitur? an Principem hic impium conſtituemus, qui pietatis & iuſtitiæ debet eſſe patronus? Minime. Locutiones illæ S.Scripturæ allegoricæ ſunt. Venator enim ponitur pro illo qui rapinis latrociniiſque deditus eſt. Neque vero ex abuſu quorundam venatorum venatio omnino reprehendenda. Quin et Divus Hieronymus in totum non admittendus, cum dicit, in ſacra Scriptura nullum fuiſſe ſanctum venatorem. Nam & Salomonem regem ex venatione cervorum, caprearum, bubalorum, familiam ſuſtentaſſe, ſacra pagina 1.Reg. c.4. tradidit. Non

tantum itaque Principi licita verum etiam utilis eſt venatio. Unde recte Heroicum hoc ſtudium appellavit Xenophon, & antiquiſſimos enumerat heroas qui ad Deos immortales genus ſuum deducere ſſe iactabāt, & venatione tanquam divino ſe oblectarunt exercitio. Porro mulctarum quoque ſevera compendia ad ærarium Principis pertinent, l. 5. C. de mod. multar. niſi publicæ neceſſitati deputaverit iudex. Templa cadunt auguſta Deûm, mœnia lacera ſunt, viarum ſublata eſt ſecuritas, impendere illis licitum. Quia ipſius quoque principis intereſt publica opera ſarta tecta conſervari d. l. 5. & l. ult. C. de offic. Rector. Provinc. Quinetiam ſi quem duris in rebus paupertas premat, illius uſui addici quoque mulcta poterit. l. 2. C. de Epiſcop. Audient. Si quoque is qui deliquit obæra-

tus fuerit creditori, creditoris cauſa potior erit, neque fiſcus cum damno alterius inde lucrum captare poterit. Id enim bonorum cuiuſque eſſe intelligitur, quod æri alieno ſupereſt. l. 11. & l. 17. ff. de Iur. Fiſc. & l. un. C. de Pœn. Fiſcal. Quinet creditores ob cauſam pœnalem propter læſionem ſuam cum fiſco ad dimidiam partem concurrere tenuerunt interpretes. arg. l. 11. §. 1. ff. de duob. reis conſtit. Ne autem videretur Princeps in aliquem pœnas mulctaſque exercere, vel ut vindictæ vela daret, vel ut lucrum captaret odioſum, pœnarum uſuras petere prohibitum fuit. l. 1. C. de Fiſcal. uſur. & l. ult. ff. de magiſtrat. conven. alioquin ex contractibus uſuræ quoque Fiſco debentur, l. 17. §. 5. ff. de Uſur. Ita enim credidit cordata antiquitas, pœnarum compendia veluti invitum Principem ac-

cipere debere, mulctas infligi, quo nocentes ſuo damno in ordinem redigerentur. Plurimos non ſua virtus, ſed pœnæ formido à criminibus abſterret. Inter ea quoque quæ ad Principem pertinent bona vacantia cenſentur. l.1. C. de Bon. vacant. ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea vel iuris titulo reliquerit inteſtatus hæredem. l. 4. eod. Adoptati tamen & arrogati ius ſucceſſionis ab inteſtato habent, & veluti ſanguini alicuius inſerti creduntur. §. 2. Inſt. de Adopt. iunctâ l. 1. §. fin. ff. de ſuis & legit. hæred. Etiam deficiente ſanguine vir & uxor ſibi invicem ſuccedunt. l. un. ff. unde vir & uxor. Lectus coniugalis arctiſſimum vinculum habere creditur, & qui corpus miſcuerunt ſimile quid conſanguineis habere videntur. Nemo fiſcum coniugi ſuo præponere creditur. At hoc ita obtinet,

niſi divortium ſecutum, vel graves exarſerint inimicitiæ, unde ſeparatio lecti coniugalis facta fuerit. d.l.1.Idem ius patronus in ſucceſſione liberti habet. l. 2. C. de Epiſcop. & Cler. Neque tutores neque educatores ad ſucceſſionem ab inteſtato vocantur l.10. C. commun. de ſucceſſ. De nutrice maior eſt dubitatio, quæ totiens uberis niveum nectar tenello infanti præbuit. Quid homine à nativitate infirmius, ſi cura aliena non nitatur? Quotiens naturale ſomnium cohibuit importunus eiulatus? quotiens crepitacula, cunas nutrix movit, ne inſomnis infans eſſet? quotiens, quod palmariū eſt, ſanguine ſuo nutrivit? Sæpe naturam nutricis magis induit infans quam matris. Qui nutricem dixit, aliquo modo & matrem dixit. Diſtinguendum hic eſt: ſin, ut fieri ſolet, merces illi conſtituta fuerit, nullum

nullum ius ſucceſſionis ab inteſtato habet. l. 10. C. commun. de ſucceſſ. Sin tenerrimo inducta affectu hoc factitaverit, relictum infantem nutriverit, educaverit, ipſis quoque parentibus in ſucceſſione præponitur. Auth. liberi. Cod. de Epiſcop. Aud. Vacantia itaque bona ita Principis propria ſunt, ut inter regalia merito referantur. Fruſtra itaque eſt Bodinus, qui quæcunque Romanorũ bona vacantia arripere potuiſſe cenſuit. per l. 1. ff. Pro derelict. Multum res derelictæ à vacantibus differunt. Vacantia enim bona de hæreditariis intelliguntur. Pro derelicto habetur, cuius poſſidendi animus deſiit quocunque modo. In bonis autem vacantibus ſpeciale ius conſtituerunt Imp. in l. 1. C. de Bon. vac. Quin & ipſe dominus, antequam ad communem locum abiret, non præſumitur illa bona poſt mor-

tem.

tem pro derelictis haberi voluiſſe, cum enim teſtamentum non condidit, neque ſanguine propinquos ſibi deeſſe ignoraret, elegiſſe fiſcum ſive Principem loco hæredis videtur. Antequam autem bona vacantia cenſeantur, diligenti inquiſitione opus eſſe recte Imperatores reſcripſerunt, l. ult. C. de Bon. vacant. & l. 7. C. de Iur. Fiſci. Principis enim non eſt involare in alterius bona, atque inde ſibi emolumentum capere. Hinc non ſibi retinuiſſe, ſed oppreſſarum civitatum auxilio illa bona deſtinata fuiſſe aliquando legimus. Cum Veſevi montis in Campania accidiſſet calamitoſa conflagratio, Titus Imp. bona, quorum hæredes non erãt, afflictarum civitatum auxilio attribuit. Inter bona vacantia & vacua diſtinxiſſe veteres ex eorundem apparet monumentis. Nam & id nonnunquam vacuum

credi-

creditur, cujus ſolo vel area nulla fit ædificatio vel cultura. Urbs Romana aliquando deformis erat incendiis atque ruinis. Veſpaſianus, ut urbis pulchritudini conſuleret, vacuas areas conceſſit iis, qui ædificium ponere vellent. Satius quippe iudicabat, privatorum ædificia minui, quam in ipsâ urbe urbem quærere. De quo iure vide l. ult. C. de Iure Reip. lib. xi. Etiam Pertinax quicquid alibi inculti eſſet ſoli, pro cultura occupantibus conceſſit, & ſimul decem annorum immunitatem, ſervis quoq; perpetuam libertatem: uti traditum memoriæ ab Herodiano. Vacantia itaque bona multum à vacuis proculdubio differunt. Atque ita quidem per fiſcum hæc bona arripit Princeps, ut onera quoque hæreditaria præſtet, quæ præſtare cogeretur hæres, à quo relicta erant. l. 96. §. 1. ff. de legat. 1.

& l. 114. §. 2. eod. Neque obſtat quod ſi nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex his quæ teſtamento ſcripta ſunt, l. 9. ff. de Teſtam. tutel. & l. 181. de Reg. Iur. Fiſcus enim omnia onera ad ſe trahit, dum hæredis veluti perſonam gerit. Ita ſi ab indignis auferat bona Fiſcus, legata tamen & fideicommiſſa deberi, explorati iuris eſt, l. 9. ff. ad SC. Syllanian.: atqui dixit IC. in l. 50. ff. de Manum. teſtam. vacantibus bonis fiſco vindicatis conſtitutionem Divi Marci pro libertatibus conſervandis locum non habere. Utrique verum eſt, non ex conſtitutione Divi Marci ſed ex aliis legibus deberi. Vide Fachin. controv. lib. 6. cap. 22. Si itaque Fiſcus bona vacantia arripuerit, cunctis oneribus tenetur, ſi à defuncto contractum ſit æs alienum, creditoribus ſatisfacere debet, l. 31. ſolut. matrim. Inventarii
 tamen

tamen limitibus non conſtringitur, ſed quocunque modo ultra vires hæreditarias non tenetur, arg. l. 8. §. 1. Qui teſtam. fac. poſſ. Poſt elapſum autem quadriennium hæreditatem fiſcus ſibi vindicare nequit, l. 1. C. de Quadr. Præſcr. Bona quoque, quæ indignis auferuntur, inter Regalia Fredericus ſtatuit. Quæ ereptitia vocarunt IC. Huc pertinet l. 8. §. 14. ff. de inoff. teſtam. Si quis nimirum teſtamentum inofficioſum eſſe dixerit, modo in lite perſeveraverit. Qui enim ex inofficioſo teſtamento agit, hoc colore utitur, tanquam defunctus mentem non habuerit integram, cum teſtamentum illud conderet. Gravis autem hæc iure cenſetur contumelia, accuſare aliquem, quod cæco furore abreptus fuerit, quod intemperies mentem exagitaverit. Teſtes quoque fidejuſſoreſque eidem pœnæ ob-

noxios

noxios eſſe placuit. l. 5. §. 10. ff. de his quib. ut indign. Quinet Falcidiæ beneficium & Trebellianica hæredi ſcripto aufertur, l. 1. §. 19. ad L. Falcid. Itidem qui necem defuncti inultam reliquerit, neque in autores inquiſiverit, hæriditate indignus cenſetur, l. 5. §. 2. ff. ad Syllan. Ex veteri utiqe more, de omni familia, quæ tempore intentatæ necis ſub eodem tecto manſitaverat, neque inſidias vel avertiſſet vel prodidiſſet, ſupplicium ſumi, hæredes, antequam hæreditatem adirent, poſtulabant. Quinet unius ob noxam & furias quadringentos aliquando ſervos tam nocentes quam innocentes interfectos C. Tacitus autor eſt. Qui dicit teſtamẽtum falſum eſſe, ab hæreditate quoq; arcetur. l. 2. C. de his quib. ut indign. In fraudem quoque iuris fidem accommodat, qui vel id quod relinquitur,

vel aliud tacite promittit reſtituturum ſe perſõnæ, quæ legibus ex teſtamẽto capere prohibetur, ſive chirographũ eo nomine dederit, ſive nudâ pollicitatione repromiſerit, l. 10. ff. de his quæ ut indign. Itaque ea bona fiſcus arripere poteſt. Si quis tamen palam rogatus eſſet incapaci hæreditatem reſtituere, fraus legi facta non videtur, l. 3. §. 1. ff. de Iur. Fiſc. Clandeſtina ut plurimum ſuſpecta ſunt. Occultari ſuis tenebris tum crimina tum maleficia ſolent. Quæ ignorare nolumus, palam ipſi luci committimus. Nulla ſuſpicio doli, ubi nullum tegumentum. Ea quæ egregia, & de quibus non dubitatur, luculenta appellamus. Ad fiſcum itidem hæreditatem tranſmittit emancipatus filius, qui contra tabulas bonorum poſſeſſionem petierit l. 2. de his quib. ut indign. qui teſtatorem occidit

l. 9.

l. 9. ff. de Iur. Fiſci. qui defuncto ſtatus controverſiam movit, l. 9. §. 2. De his quib. ut ind. Si quis adulterii damnatus illam, cum qua caput collimavit, poſtea in uxorem duxit, atque hæredem fecit, nullum matrimonium eſt, atque bona fiſco vindicantur l. 13. eod. Idem in inceſtis nuptiis locum habet. Nov. 12. cap. 1. Qui enim naturæ inimicus, facultatibus indignus eſt. Itē ſi quis contra mandata duxerit uxorem ex ea provincia, in quâ officium aliquod gerit, fiſco locus erit, vel etiam ſi tutor pupillam contra decretum Ampliſſimi Ordinis in uxorem duxerit, l. 2. §. 1. eod. ſi expilaverit hæreditatem, ſi improbum pactum vivente defuncto de eius hæreditate fecerit, atque ita porro. Vide tit. ff. de his quib. ut indign. Bona quoque damnatorum & proſcriptorum ærario Principis aſcripta fuiſſe

iure civili, exploratum eſt. Niſi extent aſcendentes vel deſcendentes uſque ad tertium gradum. Quod in maieſtatis tantum crimine hodie conſuetudo admittit. Nobilis hic ſurgit quæſtio, ſi quis contra Principem vel Rempubl. quid attentaverit, bona in fiſcum redacta fuerint, an & bona extra territorium Principis ſita fiſco debeantur? Neque enim Princeps de iis diſponere poſſe videtur, quæ ſui imperii limitibus non clauduntur. Extra territorium ius dicenti impune non paretur. Contrarium tamen urget rationibns ſuis ſuffulta noſtra ſententia. Fiſcus enim veluti ſucceſſor bonorum eſt. Sin autem ne privato quidem homini ius ſucceſſionis denegetur in alterius territorio, fiſco quoque proculdubio ius ſuum integrum atque illibatum erit. Atque ita ſentit quoque Clarus Rec. ſent. lib. 5. §.

fin.

fin. Qu. 78. Baldus ad L. Mercator. C. de commerc. & mercat. In cuius legis medio verba pulcherrima ad deciſionem huius quæſtionis occurrunt. Ita deciſum fuiſſe in cauſa Marchionis de Ancre tradidit Carolus le Bret libro Gallico, cui titulus De la Souveraineté du Roi, lib. 3. cap. 13. Si tamen conſtet, calumniæ vel invidiæ potentium obnoxium fuiſſe condemnatum, ſicuti obiecta nonnunquam crimina pro approbatis accipiuntur, externum Principem reſtituere poſſe bona legitimis hæredibus, dubium non arbitror. Porro dotem mulieris non contineri condemnatione mariti, èxtra dubium eſt. Quid ſi itaque liberali manu dotem auxerit maritus? Augmentum dotis eiuſdem naturam ſequitur, niſi donatio facta, cum animum intenderet contra Remp. l. quiſquis
 §. 4.

§. 4. C. ad L. Iul.maieſt. Sin antea facta donatio, ſi eo titulo acceperit, ut filiis reſervet, ubi mortalitatis terminum uxor implevit, ad fiſcum eadem bona devolvuntur d. l. 5. §. 5. Illud addendum, ſi hæres rogatus reſtituere hæreditatem crimen illud committat, fideicommiſſario non nocere l. 48. §. 1. ff. de Iur. Fiſc. quia is non rogato hæredi, ſed teſtatori ſuccedit. Quid igitur dicendum de Vaſallo? Si contra dominum inſurrexit, beneficio privabitur. Sin contra extraneum, non ad Fiſcum ſed ad agnatos devolvetur. cap 1. in fin. Quæ fuer. prim. cauſ. benefic. amitt. Sed an non iniquitatem quandam filiorum pœna habet, quam. l. quiſquis C. ad L. Iul. Maieſtat. infligit? Quid enim? nunquid non pœna ſuos autores tenere debet? Etiam innocentiſſimus quiſque patrem pote-

poterit habere ſceleſtum. Qui-net ſacra Scriptura, quæ eſt amuſſis & regula veritatis, filium non debere portare iniquitates parentis voluit Ezech. c. 17. utique ea eſt generalis lex, quam ex aliis locis interpretari fas eſt. Egregie Iudæorum magiſtri dixerunt, univerſam Scripturam eſſe veluti unum punctum. Nunquid non illa Ierem. c. 5. & 31. filios malorum delicta portaſſe aſſerit? Sed hæc, dicat aliquis, in divina maieſtate obtinent, quæ unicuique merito horrorem & venerationem incutit. Verum ſcias Principem ſuo quoque modo Deum eſſe in terris, atque ita quoque ſacram Scripturam indigetare. Accedit, quod filii plerunque ad vindictam parentum accendantur, atque alant in pectoris ſui penetralibus talia conſilia, quæ ſuo tempore in perniciem ipſius Reip. vel Principis

 erum-

erumpunt. Hoc hiſtoria optima rerum magiſtra docet. Providere autem in tẽpore, ne factiones radices alant, Principis cordati eſt. Quia autem factionum inſtrumenta iis deſunt, quibus nullæ facultates, arma illa liberis eripuêre, paupertatẽque perpetuam inflixêre Imperatores, ita ut iis ſit mors ſolatium & vita graviſſimum ſupplicium, d. l. Quiſquis. Præterea etiam pecunia quæ ex redemptione captivorum fit, fiſci eſt. Quamvis Romani cum in faſtigio ſtaret illorum Reſp. raro captivos redimendos putarunt. Plato certe, lib. 5. de LL. cenſet captivum non redimendum eſſe, imo ne quidem admittendum ſi gratis reddatur. Nunquam multum indulſit captivis orbium gentiumque domina Roma. Quare? ut inculcaretur ſingulis aut vincendum aut moriendum, quod & egregie attigit ſenten-

ſententiarum ille turgidus autor Seneca. Cum, inquit, Populus Romanus ſervorum deſideraret auxilia, captivorum contempſit, & credidit, eos magis tueri poſſe libertatem, qui nunquam habuiſſent, quam qui perdidiſſent. Sed de præda in bello capta iure civili dubium oritur, an illa fiſci, an capientis ſiat. Ea quæ ex hoſtibus capimus iure gentium ſtatim noſtra fieri, aſſerit l. 5. in fin. ff. de acq. rer. dom. & §. 13. Inſt. de Rer. diviſ. Contra publicam eſſe prædam dicit l. ſi captivus 20. ff. de capt. & poſtlim. Et utique certum eſt, veteri Romanorum inſtituto neque ducem neque privatum aliquod ius in prædam poteſtatemque habuiſſe. Sed eam à quæſtoribus urbanis vendi ſolitam, pecuniamque in ærarium redigi, Gellius teſtatur, lib. 13. c. 23. Si quis enim Imp. militibus propria auto-

autoritate prædam addiceret, libertati hoc obeſſe credidit Romana antiquitas. Quo pacto igitur Iuſtinianus in §. 13. de R. D. & Caius in d. l. 5. dixerunt, ea quæ ex hoſtibus capimus iure gentium ſtatim noſtra fieri? Diſtinguendum inter excurſiones & legitima prælia. Quæ in excurſionibus diripiũtur, capientiũ sũt, quæ in iuſto prælio, publica ſunt. Atque ita quoque locum Celſi intelligo in l. transfugam 51. ff. de acq. rer. dom. Transfugam, inquit, iure belli recipimus, & quæ res hoſtiles apud nos ſunt, non publicæ, ſed occupantium fiunt. Hodie certe ne ea quidem ſibi reſervant milites, quæ in excurſionibus diripuerunt. Pars enim duci, pars reliqua militi addicitur. Secus atque antiquitus, cum ſumma abſtinentia bella gerebantur: cum non tam prædæ quam patriæ defendendæ

cauſa

cauſa nulla evitabantur pericula. Porro etiam theſaurus nonnunquam fiſco cedit. Quibus caſibus, ſtatim videbimus. Ille autem in iure noſtro] dicitur theſaurus, cuius non extat memoria, nec amplius dominum habet. Neque enim ſi quis gremio terræ pecuniam condiderit, ſtatim theſaurus eſt. Sæpe uſuvenit, ut metu imminentis belli, latronum, incendii, noſtra bona abſcõdamus. Ea qui invenit, neq; indicat, furti tenetur'. Proprie itaque theſaurus eſt vetuſta pecuniæ diſpoſitio, cuius dominus ignoratur. Is vel in tuo fundo invenitur, & tuus eſt. Vel in loco alieno, puta fiſci. 'Si tibi hic theſaurus fortuito obvenit, diviſio inſtituetur inter te & fiſcum. Si de induſtria, fiſcus ſolus ſibi vendicabit. l. 1. C. de Theſauris l. 3. §. pen. ff. de Iur. Fiſci. Sed hic nodus tortuoſus oritur, & vix explica-

bilis.

bilis. Enimvero in §. Theſauros 29. Inſt. de Rer. Div. theſaurus in loco ſacro vel religioſo fortuito inventus inventori conceditur, ſi in publicis, idē in rebus fiſci obtinere videtur. quod tamē falſum eſſe conſtat. Varias hic commiſcuntur ſolutionũ ambages interpretes. Nonnulli inter naturalem æquitatē & civilem rationem diſtinxerunt. Alii Iuſtinianum derogaſſe Calliſtrati reſponſo quod eſt in l. 3. §. pen. ff. de Iur. Fiſci, voluere. Quæ ſententia placet Angelo Aretino & M. Antonio Peregrino, magni nominis Iuriſconſultis. Alii aliter. Verum ſimplex hæc eſt ſolutio, quod inter ſacra religioſa publica & privata diſtinguendum eſt. In privatis inventori totum cedit. Quare? quia ſacra privata in nullius bonis ſunt. Secus de publicis dicendum. Vera hæc niſi fallor ſolutio. Aliorum tamen

ſenten-

ſententias non concinno. Non quod veræ ſint, ſed quod veritatem conentur exprimere. Sæpe etiam laudanda eſt illorum induſtria, qui quocunque modo auctoritatem legum tueri conantur. Diſſecantur ſæpe magis nodi legum quam, ſolvuntur. Ultimo notandum, etiam tributa ad fiſcum pertinere. Quorum magna in Rep. eſt neceſſitas. Quare ne quidem Servator noſter denegavit. Recte alibi Tacitus: nec quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt. Et optime. Ceſſantibus enim ſubſidiis neceſſaria deſeruntur. Publicæ itaque utilitatis cauſa tributa inſtituta, non prodigalitati alendæ. Neque enim revera fiſcus earum dominus, ſed diſpenſator. Ea quæ dotis loco habentur à marito, civiliter tantum poſſidentur. Tributum eſt veluti

Reip.

Reip. Tributa non ita ſunt propria fiſci, ut inutiliter poſſit conſumere. Etiam ea niſi in ſummâ neceſſitate vel iuſtiſſimâ causâ non exigenda ſunt. Quod Cic. 2. de Offic. bene monuit: danda, inquit, eſt opera ne ob tenuitatem ærarii tributum ſit conferendum, niſi eo res redierit, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati parendum eſſe. Quippe nihil gravius populum lædit, quã quod ſingulos tangit. Pecunia acerbè cõquiſita plus invidiæ quam virium concedit. Summa remedia non niſi ſummis morbis adhibenda, docuit medicorum Princeps Hippocrat. Idem in Rep. dicendum. Honorium laudat Claudianus quod eius æraria privatis non creverint dãnis. Benevolentia civium potior ſæpe omni tributo. Nam princeps, qui à ſuis diligitur, habet quicquid cives poſſident, ut recte reſpon-

dit Conſtantius Imperator. Similis fere naturæ eſt collecta & cenſus. Collecta imponitur extra ordinem, ſi neceſſitas puta expeditionis militaris urgeat, neque fiſcus tanto oneri ſufficiat. l. 27. §. 3. ff. de uſufr. quæ & ſuperindictio dicitur. l. 1. C. de Privil. domus Auguſt. Illa autem, pro ratione temporum, neceſſitatis augeri, minuique poteſt, atque ipſis indicitur patrimoniis l. fin. C. de Muner. Patrim. lib. 10. Quod ius ſoli itidem incumbit ſupremę poteſtati. l. un. C. de ſuperindicto, libro 10. niſi illud vel ex conſuetudine, vel ex conceſſione ſingulares civitates ſibi acquiſiverint. Intereſt enim Reip., ne oneribus prematur populus ab inferiore magiſtratu. Quippe patrimonium veluti ipſius Principis in opibus populi ſitum eſt. Quæ ſi diminuātur, magnitudo quoque Principis minuitur. Huc

 perti-

pertinet l. 4. §. 1. ff. de Decret. ab Ordin. fac. Neque vero populus indicta Principis collecta tenetur, ſi temporum publica ſit fœlicitas atque abundantia, ſi reditus fiſci ſatis ampli ſint, ſi Princeps luxui alendo illam deſtinaverit, ſi alea continuo fritillum moveat, opeſque populi ſingulis veluti vitiis conſecret. Si iuſta autem fuerit indictionis cauſa, non tantum cives verum & incolæ quicunq; tenentur, l. 29. ff. Ad Municip. Sed quæſtionis eſt, an bona quæ extra territorium ſita huic quoque oneri ſint obnoxia. Abeunt, ſcinduntur que hic in diverſas ſententias interpretes. Communis eſt opinio, non eſſe obnoxia. Mihi vero longe alia ſedit ſententia. Rationem quippe habitationis tantum haberi exiſtimo, neque differre ubi bona ſita ſint per l. 4. §. ſi vero ff. de cenſ. & l. fin. C. de Exact. tribut.

Vide

Vide Mynſinger. obſerv. 22. n. 1. cent. 5. Eodem fere modo deciſum eſſe docuimus, ut bona damnati Fiſco cederēt, etiam ea quæ extra territorium ſita ſunt. Neque vero is tantum, qui directum dominium, ſed & is qui utile habet hoc onere tenetur. Talis eſt uſusfructuarius l. 27. §. 3. ff. de Uſufr. Eiuſdemque iuris emphyteuta cenſetur. Illi excuſantur, quos inopiæ graviſſimum telum afflixit, vel ſi ſubſidium illud præſtarent, quorum ad incitas fortuna redigeretur, l. 4. §. 2. ff. de Muner. & Honor. l. 1. C. de capitat. civ. l. 1. C. de Fund. limitotroph. Plebi ſua eripere, idem eſt atq; eiuſdem fauces premere, & vitæ uſuram denegare; atque ita furioſo vulgo gladius concedetur, quo ipſi Reip. graviſſima poteſt intentare vulnera. Onera itaque inopes patrimonii non ſuſtinent, corpori autem indicta

 obſe-

obſequia ſolvunt. d. l. 4. Res quoque Eccleſiaſticæ atque ſacrorum antiſtites huic oneri obnoxii non ſunt, l. 5. C. de ſacroſ. Eccleſ. Niſi neceſſitas publica aliud ſuadeat, l. 7. C. eod. vel bona per fraudem ad Eccleſiam devoluta ſint, ut onere publico liberentur. Porro qui in perſolvendo publico hoc debito partibus ſuis deeſt, exactor ſine ullo iudicii tenore pignora arripere, atque in bona involare propria auctoritate poteſt, l. 1. & 2. C. de cap. & diſtrah. pignor. Ruſticorum tamen aratra, quibus terram proſcindit, boves, ſervi, aratores pignoris loco retineri nequeunt. l. 7. C. quæ res pign. oblig. Meruerat hoc & publica neceſſitas, & ruſticorum favor. Dura enim lacertoſi dum ſulcant arva coloni, dum Cereris dona promovent, miniſtrant, atque annonæ mortalium proſpiciunt, digni hoc videban-

debantur privilegio l. 1. C. de Agric. & cenſit. Quæ vero forma cenſualis fuerit apud Romanos, quam bello neceſſaria, pace utilis, qua ordines ex cenſu diſtribuebantur, pro ratione pecuniarum munia obibāt cives, Dionyſius Halicarnaſſæus lib. iv. & Livius lib. 1. tradiderunt.

Summarium Tractatus de Principis poteſtate circa præcipua Regalia.

AD maieſtatem pertinet, leges condere, abolere. Ius illud aliis cōcedendo maieſtatē ſuā Princeps nō minuit. An lex iniqua natura, ſtatim nulla ſit? Quouſque iudicis ſe extendat officium? Quomodo legibus ſolutus ſit Princeps? Quatenus reſcripta Principum valeant. Princeps ſolus ſolutionis dilatorias literas concedit. Quando veniam de-

 licti

licti concedere poſſit? An pœnam criminum contra divinas leges mitigare vel augere poſſit? Princeps indicta aliquem occidere cauſa nequit. Quid ſi iudex tale mandatum habeat? An nonnunquam non puniri poſſit delictum ex ſupina ignorantia? An Princeps ſubditis ſuis imperare coniugia poſſit, vel prohibere ne pater filiam ſuam ſine ſua licentia elocare poſſit? In nuptiis Illuſtriſſimorum eius requiritur autoritas. An Princeps ex Poteſtate ſua teſtamenta ſubditorum reſcindere poſſit? Suos contractus ſervare tenetur. Princeps ſolus ſententiam paſſos reſtituit. Annorum veniam, ut quis ad honorem maturius aſſurgat, ſolus concedit. Illius quoque ſolius eſt arrogatio. Quomodo antiquitus arrogatio fieret, & quando licita. Mulier mariti dignitatem ſequitur, & ſi ad ſecundas nuptias provo-

provolaverit, prior dignitas aboletur. Indulget illam dignitatem ſolus Imperator. Etiam illud indulget, ne mulier annum luctus elugere cogatur. Ius Academias erigēdi penes Principē eſt. In Capitolio olim docebatur. Ius nobilitandi eidem competit. Quid ſi perditis moribus præditus nobilitatem à Principe acceperit, an pro illo habebitur? An poſſit Princeps legitimis natalibus reſtituere, ſi quis habeat legitimam prolem? In prohibitis nuptiis non procedit legitimatio. Aliquando matrimonium inter avunculum & inter ſororis filiam ratum habitum eſt. Quo caſu iuramentum ſolvere poſſit Princeps? Ius nundinarum Princeps concedit. In Principe ſumma iudicandi hæret poteſtas. Si contractus initus fuerit ſecundum leges peregrinas, quæ iniquæ vel cum patriis legibus pugnant, an

Iudici, cui data facultas ſecundum leges præſcriptas iudicandi, an Principi iudicandi competat poteſtas? Quouſque iudicis officium ſe extendat? an à Regibus & dictatoribus ad Populum apud Romanos fuerit provocatio? An merum imperium ſuo iure ſoli Principi competat? Ad Principem pertinet Magiſtratuum creatio. Venalitas munerum improbata. An Iuſtinianus ſordibus illis obnoxius fuerit? Inſigne quoque ſupremæ poteſtatis comitia indicere, concionem vocare. Illicitos cœtus atque collegia qui uſurpant, rei læſæ maieſtatis cenſentur. Arma ſtringere, bellum indicere ſolius ſupremæ poteſtatis eſt. Ius Armandiæ inter regalia cenſetur. Qui fuerint fabricēſes & de undecim ſcholis, quæ principi miniſteria præſtabant. Armorum uſus prohiberi in totum poteſt. Domitii

hor-

horrendum exemplum. An & quando privatus ſine auctoritate Principis bellum indicere poſſit? Extra ordinem ſine ſuprèmi magiſtratus iuſſu iuſtam pugnam cum hoſte conſerere capitale. Exempla ex antiquitate. an & quando Principi armis reſiſtere licitum ſit? An Iulius Cæſar iure cæſus ſit? Quamvis iure cæſus eſſet, coniurati tamen tanquam perturbatores Reip. puniri poterant. an iure naturæ bellum licitum? Quod ſit legitimum bellum. an fides propriæ ſaluti extremis temporibus præponenda? An bellum eo titulo licitum, ut cogantur aliqui ad Chriſtianam fidem? Quid dicendum de bello contra hæreticos indicendo? Pro religione tuenda bella licita. An pro alienis ſubditis iuſta aliquando ſit belli cauſa? Ius muniendarum urbium ad Principem pertinet. Po-

mæria urbis extendere, nova mœnia erigere, portas vel muros habitare, iure civili illicitum. Impenſas in opera publica cives & incolæ præſtare tenentur. An Princeps damna illata ſubditis ſuo iure remittere poſſit? Quomodo Princeps de rebus privatis diſponere poſſit? Ius repreſſalias concedendi ſupremo competit Magiſtratui. nunquid iniquum ſit illud ius? an perſona pro perſona occidi poſſit? Pacem ſtabilire, ſolius Principis eſt. Breves inducias ad ſepelienda cadavera, vel alias ob cauſas, concedere ſolent etiam exercitus duces. an Princeps pacis cauſa ditiones ſuas alienare poſſit? Luculentum Franciſci Galliarum regis exemplum. Fides ſemper ſervanda. Exemplum Reguli. Ad legationem quis cogi poteſt An Principi Chriſtiano cum Turca vel infidelibus fœdus inire licitum ſit? an ſalvo antiquio-

tiquiori fœdere novas appetere amicitias licitum ſit? An Princeps fœdere ſuo ſucceſſorem obliget, & quando? an rupto fœdere in obſidum vitam vel corpus animadverti poſſit? Quam poteſtatem Princeps habeat in Eccleſiam? An exemptio competat Eccleſiaſticis à ſeculari poteſtate. Preſbyter ante annũ trigeſimum quintum eligi nequibat. Exemplum diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Theodoſio Imperatore. Ius monetę, inſigne ſupremæ poteſtatis? An, & quando Principi liceat pro libitu augere, minuere valorem monetæ, vel adulterinũ cudere nummum? Quid de privatis dicendum, qui maiore valore monetam obtrudunt? an liquefacere monetam propria auctoritate licitum ſit? an probam monetam cudere privato licitũ ſit? Quid de iis dicendum, qui radunt, vel tondent? Quid ſi quis ad iuſtum pondu-

dus raſerit? an in hoc crimine inter aureos & alterius materię nũmos diſtinguendũ ſit? Quid ſentiendũ de iis qui falſam monetam emũt, ut vendant? Ius vectigalium Principi cõpetit, ut etiã augere & minuere. Civitatibus à Principe ſæpe conceditur. Sine causâ nova inſtituere vectigalia Princeps non poteſt. an ius vectigaliũ præſcribi poſſit? Quis modus vectigalibus Iure civili impoſitus fuerit? Quarum rerum licitũ fuerit vectigal? Flumina iuris publici ſunt. Foſſa in quam propinquum perẽne flumen influit eiuſdẽ iuris eſt. Aquas fluminis divertere, vel exhaurire illicitũ. an in detrimentũ vicinarũ gentium amnẽ obſtruere iure Princeps poſſit? Exemplum Tiberis apud Romanos. an per alluvionem juriſdictio augeri poſſit? an piſcatio iure prohiberi poſſit à Principe? an privatus alium nonnunquam piſcatione

prohibere poſſit? Princeps publicis fluminibus tributũ imponere poteſt. Navigationem innoxiam Princeps prohibere nequit. an vicino mari tributũ imponi poſſit? An naufragorum bona recte fiſco cedant? Cuius iuris ſit litus? De Iure portuum. an Princeps peregrinum portu iure arcere poſſit? Naves maiores roſtratæ in portu prohiberi poſſunt. Quid ſi navis bellica vi ventorũ in portum adacta ſit? Quæſtio quondam inter Venetos & Turcas mota: Genuẽſes navim Turcicam iure belli ſuperaverãt, & tempeſtate adacti in Candiæ portum appulerant. Veneti Turcis & Genuenſibus ſunt fœderati. Quæſitũ an Veneti navim Turcicam reſtituere debeãt? Quod ſit ius ripatici. an recte iure civili conſtitutum, ut ripæ annexæ ſint proximis prædiis, inſulæque in flumine natæ eorum ſint, qui prope agros poſſident?

Viæ

Viæ publicæ ad Principem pertinent. an liberum tranſitum denegare alicui Princeps poſſit? Si Princeps, cũ poſſit, latrocinia publica non inhibeat, bellũ indici poteſt. De Iure angariarum & parangariarum. De ſervitiis ruſticorum & vaſallorum. Cur Carolus V. ſervitia militaria vaſallorum remiſerit? De operis publicis. an Princeps damna eo caſu reſarciat, & quando? De ſalvo conductu. an fidem præſtitã nõnunquam rumpere Princeps poſſit? De literis ſecuritatis. De Iure Aſylorum. An & quatenus inſtitui poſſint? De iure quod habet Princeps in ſylvas, in nemora. An rectè ſubditis eripi poſſit venatio, vel nobilibus reſervetur? an non cuiliber conceſſa venatio videatur, ſi fructus fundi in venatione poſitus fuerit? Quo caſu ſuo iure plebeius venari poſſit. An præſcriptione ius venandi acquiratur? Quando fera

vulne-

vulnerata vulnerantis ſit vel capientis. an Principi venatio decora ſit? Mulctarum compendia ad ærarium Principis pertinent. Mulctarum uſuras petere prohibitum. Bona vacantia Principis ſunt. Deficiente ſanguine vir & uxor ſibi invicem ab inteſtato ſuccedunt. An nutrix præponatur fiſco? Bona vacātia à vacuis differunt. De bonis quæ ut indignis auferuntur. De bonis damnatorum & proſcriptorum. An bona extra territorium Principis ſita, ex crimine fiſco debeantur? Vaſallus quomodo ex crimine maieſtatis beneficio privetur. an non iniqua ſit filiorum pœna in crimine maieſtatis? Pecunia ex redemptione captivorum fiſci eſt. An præda in bello capta iure civili capientis ſit, an Principis vel fiſci? Theſaurus quando fiſco cedat? Quomodo & quando tributa imponere poſſit Princeps?

Simi-

Similis naturę eſt collecta & cenſus. An bona quæ extra territorium ſita; huic quoque oneri ſint obnoxia?

F I N I S.

~~A01144550~~
A01152550